SACRA PRIVATA

In duas Partes distributa:

QUARUM UNA

Tractatum continet de Religiosâ Solitudine, Privatis Precibus aliisque Officiis piis, cum Doctrinæ Studio conjungendis.

ALTERA

Varias id genus PRECES, Literatorum (in primis Juniorum) Pietati augendæ destinatas.

Authore JOANNE GRAILE, A. M. Ecclesiæ Anglicanæ, ac Diœceseos *Norvicensis*, Presbytero.

LONDINI,

Typis *J. L.* Impensis autem *Gualteri Kettilby* ad Insigne Capitis Episcopi in Cœmeterio Paulino, 1699.

Jesus Alpha et Omega

Jesus Alpha et Omega

Reverendissimo in Christo Patri,

AC

Honoratissimo Domino

D. JOANNI,

EBORACENSI Archiepiscopo,

Angliæ Primati, ac Metropolitano.

PArce, quæso, si cum Sacris hisce ad Te accedam, Sacratissime Præsul; mihique condona, quem à Reverentiâ vestrâ compellandâ, non tantùm deterreat illa, in quâ constitutus es, præcelsa Dignitas, quantùm vicissim invitet, allectetque singularis vestra

& eximia in eo ipſo faſtigio Humanitas. Quamvis enim exiſtimare nequeo, proficiſci à me quicquam poſſe, quod Judicio tuo limatiſſimo ſatisfaciat; non eſt tamen, cur de ſummâ illâ tuâ dubitem Humanitate, ac Facilitate in erroribus eorum ignoſcendis, qui de Publico bene mereri, pro viribus, ſtuduerint. Neque certè Clementia veſtra penitùs rejectura eſt hæc mea quantulacunque, ad Pietatem promovendam cogitata, quæ, ut auſpicatiùs prodeant in lucem, ad Reverendiſſimi tui Nominis Tutelam confugiunt.

Iſta quidem (ſtylo minùs æquabili, inter quotidiana Curæ Parochialis munera, variáſque Vitæ occupationes, carptim ſcripta) licet ejuſmodi ſint, ut in utrâque paginâ, Deum celebrare, & hominibus prodeſſe cupiant; tamen ſperare nunquam fas eſt, omnibus

bus ut placeant, etiam quæ omnibus omnia bona precantur, & ſuper omnia cum ſummo bono beatificam Unionem. Provolvar autem ſecurè ad Pedes Patroni tam piè Eruditi, tam benignè Potentis; quem cum video, cunctos mihi Chryſoſtomos, Gregorios, Baſilios, verè ut dicam, Cyprianos quoq; & Clementes videre videor.

Liceat etiam mihi vel obſequentiſſimæ Gratitudinis ergò, hæc Deo Sacra, ſecundum Deum, conſecrare Tibi; cujus Commendationi acceptum referre debeo, quòd unquam eo loci vixerim, quo facultas iſta meditandi mihi data eſt. Patiaris igitur, Antiſtes Honoratiſſime, extare hoc, quale quale eſt, grati in Te animi Teſtimonium: atque Nuncupationis hujus officioſam temeritatem æqui boni conſule. Deus Te Salvum & Soſpitem ſervet, ut Eccleſiæ ſuæ diu, atque fœliciter

præsis, Juáque in Te Dona, jamjam cumulata, cumulatiùs adaugeantur. Quod enixissimè precatur.

Reverendissimæ

Paternitati vestræ

Humiliter devotissimus

Joannes Graile.

Præfatio.

Supplicibus hominum Votis benignè annuere Deum Optimum Maximum, Honos quidem, nec immeritò, exiſtimatur ſummus, mira Dignatio, Solatium ingens. Difficile verò eſt opus, & quod omnes animi nervos exigat, ad tam immenſam Majeſtatem Orationes inſtituere, in quibus quicquid Mens concipit, quicquid exprimunt verba, quantumfieri poteſt, Sacroſancti Numinis Celſitati conſentaneum, Diviniſque auribus dignum ſit oportet. *Ad Divos adeunto caſtè*, nota eſt lex Duodecim Tabularum, & certè quidem Natura ipſiſſima luculenter dictat, illotis manibus, quaſi ad parvum aliquod aut mediocre negotium, nequaquam accedere debere, qui Cœli Terræque Dominum invocet, ſive agnoſcendo coram ipſo peccata admiſſa, ſive quid ab eo expetendo, ſive Laudes ejus celebrando, ſeu demum Gratias ei agendo pro acceptis Beneficiis.

Cum tamen Precationes id genus, & Gratiarum Actiones, aſpirante Chriſto, meditari, atque literis conſignare animum inducere nu-

ſus ſim; iſtas quales quales (præmiſſo qui ad eas haud omninò incommoda ſit Introductio, Tractatu brevi) viſum eſt mihi in lucem edere: non eo utique Conſiliò, ut inanem aucuper famam, & umbras quaſdam ſplendidi Nominis, quò Doctorum Albo recenſeri videar; qualem Metam (ſi maximè poſſet attingere) parum decorè ſibi propoſuerit homo Chriſtianus & cœleſtis Gloriæ Candidatus.

Verùm, ut quod res eſt dicam, ſine magno Eruditionis apparatu, non Studioſæ ſolùm Juventuti, ſed & ipſis etiam Viris Eruditis, ſi qui eorum in Privata iſta Sacra introſpicere dignabuntur, quantum pro modulo meo liceret, prodeſſe, quóſque Scientiâ augere nullus poſſum, eos piæ Devotionis igniculis accendere, in animo cum primis habui.

Conatus iſtiuſmodi benevolos (qui mos eſt Sæculi nequiter ingenioſi) nonnulli forſan argutè irridebunt, complures cum faſtidio præteribunt. Quòd ſi Deus iſtis ita faveat propitius, ut apud paucos aliquot probæ mentis homines, Pietatem ſeriam promoveant, omnes omnium illudentium Ingeniorum ſales amari, nihilo plus in me effecturi ſunt, quàm ut, Convitiis ſuſque deq; habitis, qui Univerſis fauſta precor, precer eadem Convitiatoribus.

Ipſo quidem in Libello Confeſſiones reperiuntur non fictæ, quæ Authorem ignarum ac imper-

imperfectum agnoſcunt, imò ſontem haud indignum, qui cum æternâ ignominiâ contemptionéque, in tenebroſa Tartara præcipitetur. Infinito tamen Chriſti merito ſubnixus, in iiſdem ipſe Paginis ſeſe erigit, ad Cœlum aſpirat, Divinámque advocat Majeſtatem; cui ut acceptus ſit, dum ad id unum totis viribus contendit, impotentium ac fallibilium hominum, neque vehementer ambit plauſus, neque cenſuras magnoperè reformidat. Quanquam enim, quid de nobis quiſq; ſentiat, non omninò negligimus; attamen ſupra omnem comparationem, longè major habenda eſt Numinis Reverentia, quàm viri cujuſvis. Approbante Deo, nihil nos movere debet, ſi vel univerſus Mundus hæc noſtra explodat exſibilétque; ſin autem Deo diſpliceamus, licet quicquid eſt mortalium applaudat, non poſſumus non perhibere noſmet omnium miſerrimos.

De Libri iſtius parte Primâ, quæ viam ſternit ad ſecundam (præterquam quòd hic fatendum ſit, me quidem, ut Scriptores ferè ſolent omnes, è fontibus alienis nonnulla cum delectu ſubinde hauſiſſe) nihil neceſſe eſt mihi dicere.

Pars vero ſecunda quædam ſpeciatim præfanda deſiderat. De cujus Inſcriptione, quæ Preces oſtentat Literatorum uſui deſtinatas; ſi cui eo nomine à debito Modeſtiæ temperamento

mento diſceſſiſſe videar, quaſi onus ſubirem eos erudiendi, quorum jure ac merito eſſem diſcipulus, cogitet iſte ſecum, quot & quàm varii ſint Gradus atq; Ordines, tam inferiores, quàm ſuperiores, in Republicâ literariâ, quorum aliquibus, etiam mediocria prodeſſe pariter & placere queant, quamvis ne eximia quidem omnibus. Nec verò Doctrinâ & humanis Artibus, ſed animæ devotione, pióque Numinis cultu geſtit opella mea Literatis inſervire.

Vulgi, fateor, eſt in primis, hujuſmodi adminiculis inter precandum indigere: atqui forſitan iſta non penitùs refpuent vel Docti viri; præſertim cum Studiorum labores, aut alia gravia negotia, eos adeo defatigaverint, ut ad Deum propriis viribus invocandum ſeſe minùs comparatos habeant.

De ipſis autem Orationibus, etiamſi ad ſenſum & judicium meum dirigendum, ſacroſanctas Eccleſiæ Anglicanæ Preces, Liturgiáſq; antiquas, quatenus mihi copia facta eſt, conſuluerim, idque debitâ cum Reverentiâ; tamen meas non concinnavi ex aliis Precationum Formulis, ſed partim ex lectiſſimis propriæ mentis cogitationibus; partim etiam, quod diſſimulatum non cupio, ex M. Ciceronis, Senecæ, M. Antonini aliorúmque Philoſophorum Scriptis. Quid enim eſt cauſæ, cur mihi Religio eſſet ad ſacra noſtra accommodare

modare vel iſtorum hominum dicta aliquot, qui multò ſanctiùs paſſim locuti ſunt, quàm Chriſtiani vivunt? Quidni Deum precari liceat, ut omnia quæ in illorum Libris commendantur virtutum genera, in moribus noſtris magis éluceant? D. Auguſtinus ab Hæretico Donatiſtâ, regulas aliquot ad ſacras Scripturas interpretandas accepit. Laudatúrq; Cyprianus, quòd Extraneorum ſpoliis Templum Domini locupletârit. Nam quæcunque ſint etiam in profano Orbe Pietatis ſcintillæ, eas inferri fas eſt Altari Dei. Illis tamen ad Preces has adornandas parciùs utens, longè plus debui Literis divinitùs inſpiratis, piiſque ac doctis Sanctorum Patrum, aliorúmque celebrium Scriptorum in Paginam ſacram Commentariis: quibus legendis intimè affectus ad iſtiuſmodi Deo Summo proferenda Alloquia paulò ardentiùs excitatus ſum. Cúmq; iſta mihi uſui eſſe percepiſſem, haud gravatè in medio ponens publici juris feci, ut cum aliis communicarem.

Aſt hic nobis propinas, inquiet aliquis, Orationes bene longas, quæ tædium potiùs ingerant, quàm pium ardorem. Ita quidem Precum cauſari prolixitatem ſolent, quibus non eſt penitus infixa cordi veneratio Numinis. Verùm enimverò, quæ iſthic reperiatur Oratio longiſſima intra horæ quadrantem legi poteſt; & nemo certè vel divinæ benignitatis,

vel

vel propriæ indigentiæ memor, tantillum temporis ægrè impendet ei, cui totus innititur, & debet omnia.

Ad Linguam quòd attinet, non magni quidem refert quâ Linguâ, modò ea intelligatur, ſed quo animo, quâ fide, quo ſtudio precemur. Iſtas autem Preces ut Latinè conciperem, hæ mihi rationes ſuadebant.

Primùm, quòd (cùm ita ferat ea quæ hominum ingeniis inſita eſt varietas, ut nec iiſdem Linguis omnes, nec omni tempore, nec ſimiliter delectemur, ſed aliæ aliis magis arrideant) Supplicationes iſtæ devoti pectoris cum aliquibus in majori forſan gratiâ eſſe poſſint, ob ipſum, quo exaratæ ſunt, Romanum Idioma.

Deinde quòd in Precum Privatarum Libros, Linguis editos vulgaribus, non paucos, qui laude digni ſint, ſæpius inciderim; Latinè verò ſcriptorum, quos calculo meo valdè comprobem (ſi quid ego video) non tantam atque talem viderim Copiam. Et certè in eo ſumus Temporum Statu, in eâ morum corruptelâ, quæ poſtulent, vel flagitent veriùs, ut dum quotidiè Dei atq; hominum frigeſcit Amor, expediant omnes omnia, quæ Pietati ac Virtuti vel debent, vel præſtare poſſunt.

Poſtremò,

Poſtremò, quòd res fuerit alicujus apud me ponderis, non ab unius ſolùm Gentis hominibus, ſed à toto Orbe Literario intelligi poſſe, idque in iis Meditationibus, quæ ad Honorem Dei, atque hominum Salutem aliquantulùm conferant.

Nunquam ego is fui, ut mea me maximè delectarent: tamen nihilominus, quas mente Numini devotâ compoſui Preces; quas compoſitas, flexo poplite (utinam & eâ cum demiſſione animi, iiſque affectibus, quibus peccator ſupplex debueram) ſæpiùs legi; quáſque poſt hæc ad vitæ finem uſque, ſi Domino placeat, iterum iterúmque ſum lecturus, ac relecturus, ſpero fore, ut ne alios quidem pœnituerit legendi ſemel. Quin imò in non neminem fortuitò inciderint, cui vix gravem nauſeæ moleſtiam vel frequentiori uſu creaturæ ſint. Id unum ſaltem, juvante Chriſto, ſpondere auſim, iſtas ſcilicet, cujuſmodicunque ſint, ſi quis attento animo, debitóque fervore evolvit, ſi non inde doctior, at certè, quod antiquius eſt, melior fiet.

Itaque ab omnipotenti Deo majorem in modum ſupplex oro, ut quiſquis Preces iſtas legerit, cœleſti Gratiâ ſuffultus, eâ Numen Reverentiâ, Fiduciâ, Humilitate, Caſtitate, Gratitudine colat adorétque ut mox inde in corde,

corde, in vitâ, in moribus, optimum Pietatis ſuæ fructum percipiat: ut Divinæ Majeſtati ſit acceptus, hominibus beneficus, atque ſecum ipſe tranquillus: ut ad omne rectè factum ſit paratus, pulchréque omnem Fortunam ferat: ut denique ſolidâ beatæ Immortalitatis ſpe per Jeſum Chriſtum ſemper erectus, vivat fœliciter, fœliciùs moriatur, reſurgátque fœliciſſimé.

Elenchus

Elenchus Capitum.

Cap. I.

De incomparabili præ rebus omnibus Religionis Excellentiâ, meritâque etiam Eruditionis Laude, déque Commoditate Solitudinis, quæ ad profectum in utrâque plurimùm interfit.

Cap. II.

De Obligatione quâ tenentur Literati ad Receſſum ſuum conſecrandum, non Doctrinæ modò ſed Religioni.

Cap. III.

De vitioſis & corruptis Doctrinæ Studiis, déque Impietate ac Moribus pravis, complurium Hominum Eruditorum.

Cap. IV.

De piis tam Studioſorum, quàm aliorum, cum ſoli ſunt, Officiis, ac primo de ſacrarum Literarum Lectione.

Cap.

CAP. V.

De piâ Meditatione.

CAP. VI.

De Conſcientiæ Examine.

CAP. VII.

De Oratione privatâ, ejúſq; cum Utilitate, tum Neceſſitate, licet utraque Precibus publicis lubentiſſimè cedat.

ERRATA.

PArte primâ. Pag. 74. lin. 17. l. *pretioſiſſimis*, p. 97. l. 3. l. *in fumantes*, p. 100. l. 27. l. *noſſe*, p. 128. in Margine, l. *p.* 51. Parte ſecundâ. Pag. 2. l. 19. l. *meum*, p. 25. l. 25. l. *meos*, p. 31. l. 14. l. *affectus*, p. 98. l. 15. dele *per*, p. 110. l. 13. l. *præſidens*, p. 147. l. 2. l. *fuerunt*, p. 152. l. 9. l. *inenarrabilis*, p. 159. l. 4. l. *Deus es ex.*

SACRA

SACRA PRIVATA.

Pars Prima.

Tractatum continens de Religiosâ Solitudine, privatis Precibus, aliisq; *Officiis Piis*, cum Doctrinæ Studio conjungendis.

CAP. I.

De incomparabili præ rebus omnibus Religionis Excellentiâ, meritôq; etiam Eruditionis Laude, déq; Commoditate Solitudinis, quæ ad Profectum in utrâq; plurimùm interfit.

SICUT unum esse, quod omnia condidit, conditáq; sustentat ac moderatur, Numen supremum, non modò Literæ sacræ Judæis & Christianis disertè confirmant persuadéntque; sed pulchritudo Mundi, partiúmq; ejus admirandus Ordo Gentes universas confiteri cogit; ita (quod vel à communi illo Divinitatis sensu palàm fiat) in humanâ vitâ res duntaxat una est maximi

pretii, ad quam curas, conatus, ſtudia, conſilia q; omnia referri oporteat. Illa autem res tam eximia, tamque inæſtimabilis eſt Religio, ſive pura caſtáque in Deum Pietas, inviolataq; Legum ejus obſervatio. Hanc meritò ſuſpicimus, tanquam nobiliſſimam, ad quam natura noſtra aſpirare poteſt, Perfectionem. Hæc una ſi adſit, nihil homini ad Beatitudinem omnibus ſuis numeris abſolutam diu multúmque deeſſe queat.

Quænam enim eſt ſumma Fœlicitatis humanæ? Quis ſupremus finis ad quem conditi ſimus? Quod negotium graviſſimum, digniſſimúmque cui totis viribus incumbamus, niſi contemplari, laudare, ac imitari Conditorem, Redemptorem, & Gubernatorem noſtrum; ut à quo nobis dantur omnia, & apud quem plena gaudiorum adeſt copia, immortalem ejus celebremus Gloriam, ipſóque tandem in æternum fruamur?

Ad ſupremam illam in Cœlis Fœlicitatem unica via eſt Religio; eadémque ipſa Religio in terris etiam, quanta dari poteſt, maxima hominis eſt Fœlicitas. Pietas & Virtus (quibus nihil tranquillius, nihil jucundius, dum vitam noſtram ita inſtituunt, ut in ſingulis actionibus proſequamur, quod honeſtum decorúmque ſit) perpetuâ ſuavitate animum perfundunt, cœleſtique Pace ac Lætitiâ quàm uberrimè

uberrimè replent. Quinimò & eadem non ſolùm nos lautè ſaturant opiparo illo placidæ Mentis convivio, ſed ad Corporis Sanitatem, ad Honores, Divitiáſque plurimùm conferunt, & ſuapte naturâ, & divinâ quam nobis conciliant Benedictione. Si quis enim ab Orbe condito tot Annorum intuetur vel ſecundas res vel adverſas, ubique ferè inveniet proſpera eveniſſe ſequentibus Deum, adverſa ſpernentibus. Tanta culti neglectique Numinis Monumenta in ore atque oculis hominum quotidiè verſantur.

Res autem illa, quam proximè Religionem magni quidem facere liceat, eſt Eruditio, cujus adeò præſtabilis uſus eſt, adeo ſuavis, amœnus, copioſus fructus, ut non injuriâ in bonis humanis ſecundum teneat locum. De hac verò pro eo ac meretur copioſè dicere, nec eſt inſtituti, nec facultatis meæ. Qui Doctrinam aut Eloquentiam dignis laudibus proſequi cupiat, doctiſſimus utique ſit oportet atque eloquentiſſimus. Illas tamen vel ſtylo noſtro minùs exercitato ne omninò intactas præteream, liceat paucis recolere, quàm neceſſariæ, quàm utiles, quámque jucundæ ſint bonæ Literæ, quot commoda, quantam voluptatem in omni vitâ nobis afferat Linguarum & Scientiarum peritia, atque, ſi eâ rectè utimur, omne genus Eruditionis.

Hæc liberat mentem à ruditate illâ impolitâ, quæ eam ſcopo ad quem condita eſt ineptam facit. Hæc eſt quæ obtuſum ingenium acuit, eíque formas, habitus, & diſpoſitiones tales ingenerat, quibus ad finem ſuum promptè, & facilè accommodetur. Si Liberales Artes ac Diſciplinas tollas res humanas actutùm involvunt nox & oblivio, tenebræ & ignorantia, error & caligo. Sine Literis ipſa vita mors eſt, (inquit Seneca) & viventis hominis Sepultura. Quaſi homo rudis & ignarus cadaver eſſet, non homo.

Ad Linguas quod attinet, hæ Mentis Interpretes ſunt, quibus cogitationes ejus enunciantur, quibus Doctrinæ omnis & Diſciplinæ commercium ſtabilitur. Hæ totius Literaturæ ac penitioris Sapientiæ Inſtrumenta ſunt, ſine quibus, nec alios ſive loquentes ſive ſcribentes intelligere, nec noſtra cum aliis communicare poſſumus. Latina præſertim, & Græca Lingua quàm dignæ ſunt, quæ ſummâ cum diligentiâ addiſcantur? Siquidem in iis extant tot omnigenæ Scientiæ præclara Monumenta, graviſſima Scripta, imò Literæ Sacræ, Oracula divina, ipſum Chriſti Evangelium. Veteris autem Teſtamenti puris fontibus piam ſitim explere nemo poteſt, niſi ſit etiam Hebraicè doctus.

Nihil quicquam dici opus eſt de Grammaticâ & Rhetoricâ, quarum altera quantum conferat

conferat ad rectum & proprium, altera ad comptum & elegantem Sermonem, ne pueri quidem ignorant. At ſi res ſpectentur potiùs quàm verba, quas laudes meretur, quæ laudatarum Artium omnium procreatrix quædam, & quaſi parens eſt, Philoſophia; cujus nulla pars non ferax, atque uberrimè fructuoſa eſt? Una ſcilicet Rationem noſtram exquiſitis artificiis format ad verum à falſo dignoſcendum. Altera Mores inſtruit, & Officia diſtribuit; nec ſolùm propriæ noſtræ vitæ benè beatéque inſtituendæ, ſed etiam diſpenſandæ Familiæ, Reíque Publicæ adminiſtrandæ methodum deſcribit. Tertia Naturales obſervat Effectus, & Cauſas inveſtigat, totiúſque Mundi Originem, Ordinem, Harmoniam contemplatur. Quarta Principiis menti clariſſimis ſuffulta, Numerorum ac Menſurarum leges præſcribit, déque iis Concluſiones eliciens certiſſimas, facili operâ vel arenas Maris computat; neque ſolùm Terrarum longè diſſitos tractus, ſed & patentiſſimas Cœli regiones emetitur, ſupremum Æthera conſcendens, atque Aſtrorum Veſtigiis preſsè inhærens. Quinta diſſerit de univerſalibus & abſtractis rerum Ideis, de Subſtantiis incorporeis, de ipſo Deo, de Angelis, de Animabus humanis, quatenus lumine naturæ facultatibus noſtris innoteſcunt. Vereor ne Lectori moleſtior ſim, Diſciplinas omnes,

earúmque notas Utilitates ſigillatim enumerando : Verbo autem dicam. Quicquid verum ſit, quicquid pulchrum & elegans, quicquid humanæ Mentis conſideratione dignum, quod Intellectum vel commodè inſtruat, vel fideliter exerceat, vel ſincero ornatu condecoret, vel purâ voluptate oblectet, id omne pro Scopo, ad quem collineat, nobiliſſimo Philoſophia habet.

Optimus verò uſus eſt Philoſophiæ, omniſque bonæ Literaturæ ; quòd hiſce Studiis præparentur, & acuantur hominum ingenia, ad tractationem Scientiæ altioris, ad claram intellectionem, ac perſpicuam explicationem multorum locorum difficilium, quæ paſſim occurrunt in ſacris Scripturis, ad dijudicandas de Religione Controverſias, atque ad os obturandum falſis Doctoribus, & Evangelii hoſtibus. Hinc Chriſtiano Nomini infeſtus Julianus Chriſtianorum in Literis Inſtitutionem Lege prohibuit, ne illis Artibus ac Scientiis exercitati, Dialecticis apud Gentes facilè occurrerent, & è Libris eorum arma caperent, quibus ipſos configerent Authores. Hinc Viri Divini à Spiritu Sancto celebrantur, eò quod Literis humanis claruerint. Inſtitutus eſt Moſes, inquit S. Stephanus, in omni Ægyptiorum Doctrinâ, fuítque factis, dictíſque potens. De Solomone memoriæ traditum eſt, quòd dixe-

rit

rit tria millia Sententiarum; Ejúsque carmina fuerint quinq; supra mille; quòd disseruerit de Arboribus, à Cedro Lebani usque ad Hysopum, quæ nascitur in parietinis; quòd disseruerit de Quadrupedibus, de Volucribus, de Serpentibus, & de Piscibus; quódque convenerint ex omnibus Orbis Nationibus ad audiendam Solomonis Philosophiam. Commendatio est Danielis atque Sociorum, quòd illos Deus Cognitione & Prudentiâ omnium Literarum ac Doctrinarum donaverit. Cúmque fuerint ex eo Collegio quod Libertinorum appellabatur, & Cyrenensium, & Alexandrinorum, Cilicúmque, & Asianorum qui cum S. Stephano contenderent, tam docta, támq; nervosa fuit ejus Congressio, ut non potuerint Sapientiæ, & Spiritui quo loquebatur resistere. Laudatur Apollos, quòd Vir eloquens fuerit & Literis pollens, qui vehementer Judæos convincebat, publicè demonstrans, Jesum esse Christum. Paulus etiam Apostolus, vel ob Eruditionem suam, Spiritus Sancti suffragio probatur, quotidiéque disputasse dicitur in Schola Tyranni Philosophi. Educatus fuerat ad pedes Gamalielis, in patriâ Lege accuratè institutus, eóque nomine infensissimus Jesu hostis. Tandem verò, dum irâ tumidus Damascum petit, ab ipso Jesu circumfulgente luce profligatus, novâ ac divinior instruitur

Eruditione, atque fortiſſimus Chriſti Aſſertor ſtatim effectus, Doctrinam omnem, & Eloquentiam Chriſtianæ Fidei per Orbem propagandæ conſecravit.

Tunc quidem omni Laude digniſſimæ ſunt Literæ, cum fideli operâ veræ Religioni ancillantur. Nihil enim optabilius reperiri poteſt, nihil præſtantius, nihil divinius quàm pia Eruditio, aut erudita Pietas. At quàm miſera & infœlix eſt omnis illa Literatura, quanta quanta ſit, quæ à Religione ac Pietate aliena eſt, cujus tota Gloriola florenſque Splendor horrendis tandem Inferni tenebris obducetur. Habet enim ſæpenumerò iſtum tam deplorandum effectum. Atque res ea tam eximia, quæ uſque adeò prodeſt, ſi eâ rectè utamur, non inutilis ſolùm, ſed peſtifera, & perniciosa eſt hominibus iis, qui neglectis contemptiſque Pietatis Officiis, omnem ſuam in Literarum Studiis Operam conſumunt.

Hæc ego mecum ſeriò reputans, atque pungentia illa S. Auguſtini Verba in animo meo aculeos relinquentia identidem conſiderans, *Surgunt indocti & Cœlum rapiunt, & nos cum Doctrinis noſtris ſine corde, ecce ubi volutamur in carne & ſanguine;* * Hæc, inquam, quorum memoria mihi, præſertim cum ſolus ſum, crebrò ſuccurrit, in mente recolens, voluti pro tenuitate meâ

* Aug. Confeſſ. lib. 8. c. 8.

meâ quædam meditari, quæ ad res illas duas præſtantiſſimas, Religionem ac Eruditionem, fœliciter conjungendas aliquantulùm conferrent. Cúmq; inter Pietatis inſtrumenta locum non infimum habeant religioſa Solitudo, ſanctæ Meditationes, Preces privatæ, omníſque id genus Devotio, ea quidem digna exiſtimavi, quæ Studioſis ac Literatis ſic commendarem, ut graviſſimè diligentiſſiméque potui. Ac in finem illum de ſequentibus Argumentis hac Methodo diſſeram.

Primò de Commoditate Solitudinis, quæ plurimùm interſit ad Profectus bonos, cum in Literis, tum in Pietate.

Deinde de Obligatione, quâ tenentur Literati ad Receſſum ſuum conſecrandum, non Doctrinæ modò, ſed Religioni.

Tertiò de vitioſo & corrupto Doctrinæ Studio, déque Impietate, ac pravis moribus complurium hominum Eruditorum.

Poſtremò de piis, tam Studioſorum, quàm aliorum, cum ſoli ſunt, Officiis; ſpeciatim de ſacrarum Literarum Lectione, Meditatione ſanctâ, Conſcientiæ Examine, atque Oratione ad Deum.

Quod ad primum attinet, in commendandâ ſolitudine, non equidem laudaturus ſum Aſceticos illos, qui totam vitam in Eremis agunt, & Societatem humanam penitùs fugiunt. Hoc

pacto

pacto nec ipſi aliis prodeſſe queunt, nec ipſis alii. Imperfectioni, Indigentiæ, atque infirmitati naturæ humanæ nullo modo competit perpetua Solitudo. Non ſemper expedit homini, ne in Paradiſo quidem, eſſe ſoli. Miſcendæ igitur, ut Seneca præcepit, & alternandæ ſunt Solitudo & Frequentia. Cum autem pauci admodum reperiantur, à quorum conſuetudine & affatu, quis redire poſſit vel doctior vel melior, prudentes & cordati homines, quibus bonæ mentis cura eſt, ſæpenumerò de populorum frequentiâ recedunt, maximámque Vitæ ſuæ partem in rerum Contemplatione, ac Meditatione, in Lectione, ac Devotione piâ conſumere ſolent; non quidem ex odio hominum, nec ex hypocriſi, moroſitate, aut ſuperſtitione, ſed ex ſincero amore veræ Scientiæ ac Virtutis.

Quin & illi qui maximè omnium in publico verſantur, & in rebus agendis occupantur, ſi veram Prudentiam ac Integritatem vitæ colere velint, quotcunque poſſunt Negotiorum intervalla ſtudioſæ ac piæ conſecrabunt Solitudini, quippe quæ non modò Saturninis & auſteris Ingeniis, ſed etiam vividis, & ad res gerendas natis, aliquoties grata eſt. Etenim licet in publicis Negotiis multa ſit Sapientiæ Exercitatio, ac ſingularis Uſus; diſcitur tamen eadem in Otio ac Receſſu; vagas & errabundas

mentes

mentes declinat: ſi forſan clamat in plateis, ut Solomon loquitur, convivium tamen domi parat; vox ejus eſſe poteſt in trivio, at epulæ ſunt in conclavi.

Fœlicem Eruditioni operam ſi quis dare cupit, eum utique oportet Solitudines captare, quibus ſe Literis abdat, ac in bonarum Artium Studiis ſuaviſſimè otietur. Aliter ſi facit à limine tantùm ſalutabit Diſciplinas: in arcanis autem & Myſteriis Scientiarum planè hoſpes & peregrinus erit. Nam vera & ſolida rerum Notitia haud acquirenda eſt, niſi nos intra noſmetipſos quodammodò colligamus, & in ſecretiſſima Mentis Penetralia ingrediamur, ut procul ab omni Strepitu, ſilentibus ſenſibus & affectibus, ſummâ cum Attentione Veritatem ipſam interrogare, atque ejus vocem audire poſſimus. Turbâ autem hominum circundati vocem Veritatis æternæ, nos intùs compellantem, tacitáſque Rationis Admonitiones, eâ, quâ par eſt, Attentione non poſſumus auſcultare. Omnis vera Cognitio ſita eſt in claro conſpectu relationum, quas res inter ſe habent. Cum autem, quod ſæpe in difficilibus Quæſtionibus accidit, Mens uno intuitu multas relationes, quas duæ aut plures res habent inter ſe, contueri debet, certè niſi iſtas attentiſſimè conſideraverit, neque eas percipere, neque ſolidum de iis ferre Judicium

unquam

unquam poterit. At verò tam attenta Mentis Applicatio vix haberi poteſt, niſi in Solitudine & Seceſſu. Turba & Strepitus ei plurimùm obſiſtunt. Etenim ſi vel bombus muſcæ, aut alius quilibet lenis ſuſurrus, cerebrum ita afficiat, ut nos etiam enixè reluctantes arcere poſſit à conſideratione earum rerum, in quas aciem Intellectûs defigere conamur, quanto magis hoc efficiet ſonorus iſte clamor, qui in hominum Conventu ferè auditur. Hinc * Clariſſimus Malebranchius ad novas Veritates retegendas neceſſarium eſſe aſſerit, ut in ſolitario degentes locò, ab omnibus ſemoti, qui nos poſſint agere diverſos, Veritati inquirendæ ſeriò & ſine ullius interturbatione operam demus.

* *Malebr. de inquirenda Veritat.* Lib. 3. Pars 1. c. 4.

Quin tota Gens Philoſophorum, Oratorum, Poetarum, ac ſimilibus artibus deditorum, ſe de Turbâ & hominum Congreſſione in Otium Literarium, tranquillámque Solitudinem conferre ſolet. Quâ etiam de causâ altiſſimorum Montium cacumina à Muſis delecta & culta finguntur. Atque optimarum Artium Domicilium Schola, ſive Otium, vocatum eſt, ubi plenam quietem ſtudia inveniunt, quæ in Populi concurſu, in pelago Negotiorum, in æſtu curarum, neque tranquilla eſſe poſſint, neque fœcunda. Sicut enim aqua ſuccuſſa nullam

aut confuſam imaginem reddit, ita motu & clamore, Fori ſtrepitu, & Platearum rumoribus Doctrinæ Studia inconditè perturbantur, nec ſe invenire animus contemplantis in iſtâ rerum hominúmque Confuſione poteſt. Studioſos autem in Lucubrationibus ſuis, præſertim quoties aliquid magni ſupra vulgus moliuntur, Silentium noctis, Penatium pars ſemota, clauſum Cubiculum, Lumen unum, ſoláque Cogitationum ac Librorum collocutio attentos teneant. Aut ſi Valetudo non ſinat, ut nocturnum tempus agatur inſomne, ad Studia diurna impenſiùs requiritur Locus ſecretus, & liber Arbitris; quem Scribentibus maximè convenire dicit Quintilianus; laudátque Demoſthenem, qui ſe in locum, ex quo nulla audiri vox, ex quo nihil proſpici poſſet, recondebat, ne aliud agere mentem cogerent oculi. Teſte etiam Horatio,

Scriptorum chorus omnis amat nemus & fugit urbes.

Plato Academiam ſuam habuit mille paſſus ab Athenis diſtantem, ubi nobilitata fuerunt umbroſa Spacia Contemplationi aptiſſima. Ariſtoteles ſuum habuit Lyceum, ab urbe quoque ſemotum; Plotinus campeſtre Otium. Heraclitus, ut ſoluto & vacuo animo philoſopharetur,

retur, Fratri conceſſit Regnum, & vitam in Montibus duxit. Democritus Abderites, bonâ Orbis parte peragratâ, tandem privato in Hortulo, juxta Urbis ſuæ muros, ſe ad ſolas rerum naturas cognoſcendas contulit. S. Bernardus, Literis humanioribus non leviter tinctus, Scientiâ Theologicâ inſtructiſſimus, longè ſupra captum Sæculi quo vixit elegans & eruditus, Eruditionem hanc ſuam in Solitudine acquiſivit, ubi nullos habuiſſe dicitur Præceptores, præter Quercus & Fagos. Clariſſimus Carteſius, Philoſophiæ ſe totum tradens, à Populariùm ſuorum Frequentiâ, Egmontium in Hollandiam conceſſit, ibique annos viginti quinq; commoratus eſt. Dein Pariſios veniens, quanquam à Ludovico XIII°. & Cardinali Richelio invitatus eſt, ut ibi ſedem figeret, Aulam Studiis ſuis non convenientem ratus, excuſavit ſe, & in Eremo Philoſophicâ latere maluit. Denique, ut his Exemplis finem ſtatuam, Couleius noſtras, Anglicorum Poetarum Princeps, Oratorum ac Philoſophorum nequaquam minimus, poſt Caroli Secundi Reditum, ut ſeverioribus Literis meliùs vacaret, à vitâ actuoſâ & exercitatâ, ad privatam & tranquillam ſe recepit: Octo extremis Annis utplurimùm rure delituit, Urbem & Aulam rariſſimè reviſit, idque non tanquam incola, ſed hoſpes. In amœniſſimâ Thameſis ripâ, vitam egit curis

ris & strepitûs solutam, ac, quas in Solitudine comites habuit, Musas Eremitas fecit, Deóque consecravit.

Quis nescire potest Scientiam ortum ducere, aut ab auribus, aut ab oculis, à Doctore scilicet, aut à Libris? Et de Libris certè neminem credo esse, qui ambigat eos utiliùs, ac copiosiùs in Recessu, in Musæis, in Bibliothecis haberi tractarique, quam in publicis Cœtibus, atque hominum Consuetudine. Qui verò literatum Commercium cupit, Doctos adeat oportet, quos utiliter audiri posse, si quis in eorum notitiam humi sese auspiciis insinuat, nullus quidem iverit inficias. Literarum Alumnis sine dubio perquam utilis est Præceptor aliquis, abdita qui retegat, aspera læviget, obscura elucidet; qui in decursu Studiorum ignaros dirigat, hæsitantes incitet, vagos cohibeat, errantes revocet. Habet præterea nescio quid latentis Energiæ vivæ vocis actus; & in aures Discipuli de Auctoris ore transfusa fortiùs fomitt. Attamen ad Ingenii cultum haud impensè conducit Institutio aliena, omnisque omnium doctissimorum hominum Consuetudo, sine propriâ Diligentiâ in Recessu Studioso. Ac nisi me fallit animus, mortui & silentes Authores plus docent assiduum Lectorem, quàm discere potest vel attentus Auditor, quinab ullâ vivâ voce aut ore eloquentissimo

tissimo pendet. Cúmque in Republicâ literariâ pauci admodum reperiantur, qui Notiones suas cum aliis hominibus communicare velint, optimum, ultimúmque Studiosi Asylum est Musæum, sive Bibliotheca; quâ, etiam cum solus est, Sodalitio cingitur clarissimo, utilissimo, jucundissimo, numerosissimo; astante tot illustrium Ingeniorum Exercitu, quorum Nomina Immortalitati consecrata sunt; astantibus tot piis doctísque sæculorum omnium Scriptoribus, qui aut Græcè aut Latinè, aut quocunque Literarum Genere, vel divinæ, vel humanæ Sapientiæ partem aliquam excoluerunt.

Nec iis solùm qui animum ad Literas intendunt, sed omnibus, qui quidem ullâ Devotione ad Pietatem ac virtutem aspirant, in deliciis habenda est, ac familiaris reddenda feriæ cogitationis fœcunda parens Solitudo. Est hæc utique præstantissima ejus Commendatio, quòd quos ab hominum conspectu removeat, iis melius, faciliùs, tranquilliúsque Deo frui concedat. Secundùm Deum homines quidem hominibus maximè utiles esse possunt; Solitudo tamen aliquoties omni humanâ Societate est utilior, præsertim si Recessus ab hominibus sit ad Deum Accessus. Quocirca, etiamsi nostrâ plurimùm interfit Consuetudines & Amicitias cum doctis & piis hominibus jungere; verùntamen

tamen in commercium eorum ac Familiaritatem adeò se penitùs immergere nemo quisquam debet, ut rarò aut nunquam à Consortione illâ, in religiosam ac Numini devotam Solitudinem recedat. Suavi quidem jucunditate nos perfundit bonorum ingenuorúmque Amicorum simul colloquentium præsentia, quorum Candor & Fidelitas in ipsis oculis vultibúsque eluceat. Est nihilominùs Solitudo quædam dulcior suavióque, quàm festivissimus ullus vel optimorum Sodalium Congressus; eorúmque omnium absentiam facilè possumus sustinere, si ad Deum unum appropinquamus. Nam qui ubique præsens est Deus, nusquam nobis præsentior esse, nusquam familiariùs nos audire, & nobiscum colloqui, quàm in Solitudine dignatur.

Magnus ille Fidelium Pater Abrahamus, divinis nutibus perpetpò mancipatus, tot locorum exul, quot incola, non in Palatiis, non inter Delicias urbanas, sed in Campis, in Montibus, in Tabernaculis Collocutorem Deum, & Convivas habuit Angelos. Isaaci mos fuit orandi meditandique causâ Secessum in Agris quærere, ut Mens omnibus avocamentis soluta liberiùs Deo vacaret. Jacobus Scalam illam quæ Terræ innixa capite Cœlum pertingeret, pérque eam ascendentes & descendentes Angelos, illique imminentem Dominum Exer-

 cituum

cituum vidit, non in Civitate seu Oppido aliquo, ubi cœtus hominum sociantur, sed cum sub dio solus cubuit, saxis pro pulvino usus. Moses Prodigiorum Patrator illustris, naturæ quam ad nutum regebat, propemodum Dominus, divinam illam Potestatem à Cœlo accepit, cum in solitarium Montis Horebi saltum veniens Deum in rubo viderat, à quo tantâ Virtute ad Pharaonem missus est. Ipsiq; posteà in Monte Sinâ, quadraginta dies ab hominibus universis separato Dominus Oracula sua tradidit, Legisque Tabulas divino Digito inscriptas. Joannes Baptista è Deserto non aliter quàm Angelus è Paradiso prodiit, ad Filium Dei aquis intingendum. Ipséque Christus Dominus noster, ab Infantiâ suâ usque ad trigesimum Vitæ annum, privato Recessu delituit, se pro Fabri filio gerens, exceptâque unicâ in Templo habitâ Disputatione, silentio duntaxat locutus & obedientiâ. Ac post Baptismum suum, Naturam & Dæmonem in Eremo priùs vicit, quàm Prodigiis & Admirabilitate Vitæ inclaruit. Quin & publici sui Ministerii spatio, quo res gessit gravissimas, totique humano Generi salutares, Solitudines sæpe captavit, ut privatis precibus apud Deum ageret.

Nos autem, quibus res adeò difficilis est, revocare Mentem à sensibus, & Cogitationem à speciebus objectis, ad recedendum ab

hominum

hominum Frequentiâ longè major neceſſitas impellit. Quantus enim quâmque inquietus in Vulgi Turbâ auditur Strepitus? Quid iſtic non plenum fremitûs, plenum tumultûs, ubi itur, redditur, vocatur, revocatur, movetur, diſcurritur? Adeò ut quocunq; aſpexeris tranquillum nihil, nihil non clamoſum offendas. Et quando inter iſta liceat animum componere? Quis in tam variâ rerum facie poſſit ſecum conſtare, ac in uno Deo Studia ſua figere? At Solitudo eſt, quæ gignat, foveátque, pias, ſerias, & ſeveras Cogitationes, Meditationéſque illas ſublimes, quæ ad anticipatorium quendam cœleſtium æternarúmque Gloriarum Aſpectum mentem evehunt.

Prætereà Mundi hujus permixtu nimis frequenti, velut contagio quodam, degenerare ſolet animus in mundanas Cupiditates, Avaritiam nempe, Faſtum, Obtrectationes, Invidentias, ac Libidines; nunc immodicâ curâ rerum præſentium diſtentus, nunc earum nimiâ rurſus delectatione delinitus. * Inimica eſt, inquit Seneca, multorum Converſatio. Nemo non aliquod nobis vitium aut commendat, aut imprimit, aut neſcientibus illinit. In hominum Conſortio ſubtiliſſimè ſeſe inſinuant diverſæ Occaſiones Loquacitatis, Iræ, Contentionis, Impatientiæ, & aliarum id ge-

* *Seneca* Ep. 7.

nus noxarum. Qui autem ab obſtreperis Mortalium Negotiis, frequentibúſque rerum humanarum turbinibus, in piam Solitudinem, & Contemplationem divinam, velut in ſublimem veræ Sapientiæ arcem ſeſe recipit, animum ſuum etiamnum in corpore degentem, quoad fieri poteſt, à corporis ſarcinâ, atque adeò à circumdantibus terrenis rebus, feliciter abſtrahit, atque ad cœleſtia totum transfert. Et quid, quæſo, beatius illo Animo, qui curis, negotiis, ipsíſque hominum oblectamentis vilioribus, tanquam laqueis elapſus, totúmque aſpectabilem hunc Orbem ſupergreſſus, in Patris ſui ſinum aſcendit; ubi æternam Pulchritudinem contempletur, & contemplando amore ejus ardeat, & amando potiatur? Tanta eſt Dulcedo, támque eximius Fructus bene & ſapienter inſtitutæ Solitudinis.

CAP.

CAP. II.

De magnâ Obligatione, quâ tenentur Literati, ad Receſſum ſuum conſecrandum, non Doctrinæ modò, ſed Religioni.

QUAM utilis ſit Solitudo, ad promovenda colendáque, cùm Scientiæ, tùm Pietatis Studia, ſatis expoſitum videtur. Cum autem nihil optabilius eſſe poſſit, quàm ut Literati omnes, qui in amœnâ Muſæi umbrâ deliteſcunt, chartas & libros verſantes, Receſſum ſibi conſtituant, quò doctiorem, eò ſanctiorem magíſque pium; jam de Neceſſitate Religionis Eruditioni conjungendæ pauca quædam apertiſſimè ac planiſſimè dicam. Quanquam enim intima Philoſophiæ Cognitio, dicendi Exercitatio pulchra, Ingenii præclaræ dotes, excelſa Indoles, & conſummata Eruditio magnæ quidem res ſunt; attamen, ſi vel totus Orbis literarius unâ voce loqueretur, facilè agnoſceret, aut ſaltem agnoſcere deberet, ſinceram in Deum Pietatem, Affectus Virtuti mancipatos, illibatum animi Candorem, inculpatam Probitatem morum, ſimiléſque Spiritûs ſancti fructus, res eſſe longè majores. Quòd ſi tanta ſit Donorum id genus cœleſtium, Affectuúmque divinorum, ſu-

pra omnes Naturæ & Eruditionis Perfectiones, Excellentia; quàm insulsum, quàm iniquum est, Artes, Dotésq; ad Humanitatem pertinentes in summo haberi pretio; dona autem illa spiritualia divináque, vel præ ignorantiâ conculcari, vel præ incuriâ negligi, vel per intemperantiam dilapidari? Literæ quidem, quas humaniores dicimus, nos ex feris humanos, ex rudibus politos facere queunt. At verò Literæ Sacræ, quásque docent Religio, Pietas, Sanctitas, nos ex vanis hominibus Dei filios, ex Diaboli Mancipiis Angelorum Collegas faciunt. Doctrinâ, Eloquentiâ, Philosophiâ homines nequam omnis ætas excultos habuit: Devotionis autem studio pio, Virtutúmque cœlestium aviditate inflammari, atq; adeò bonæ menti acquirendæ sedulò incumbere, id non nisi bonorum & Sapientum fuerit, non tantùm egregiis dotibus à Naturâ instructorum, sed divinâ indole ad res optimas contendentium.

Quid, quæso, prodest tot Libros antiquos diurnâ nocturnâque versare manu, ut ambiguis barbarisque verbis, confusa, insulsa ac indigesta quædam Thrasonicâ audaciâ deblateremus? Imò verò quid obsecro prodest vel optimis Authoribus legendis, atque diligenter tum Ratiocinationis, tum Experimentorum Operâ examinandis, ad distinctam solidámq;

Naturæ

Naturæ Cognitionem pervenire, nisi Philosophia nostra tantum Cordi Sanctitatis, quantum menti Luminis asperserit; nisi affectus temperare nos docuerit, atque à sensuum & imaginationis Imperio, nosmet ad res etiam divinas & spirituales, ut in se sunt, inspiciendas extricârit, quo ad Supremum Naturæ Dominum summâ cum veneratione adorandum suscitemur? Quàm inanis etiam est flexanima Facultas, totaque vis Facundiæ, nisi eâ utamur ad celebrandas Numinis laudes, hominúmque animos salutari Suadelâ, à putidis erroribus, ac Voluptatum illecebris ad veræ Virtutis Studium abducendos. Quid denique prodest vel suprema illa Scientia, quæ Deum ipsum & infinitas ejus Perfectiones contemplatur, si in solâ Cognitione, aut nudâ Speculatione acquiescat? Quorsum attinet mentem præstantissimâ illâ Notitiâ imbutam esse, nisi eâ Duce ac Magistrâ, ad Reverentiam piam, sanctum Amorem, Obsequiúmq; fidele instituamur; ut quem solum bonorum omnium esse fontem sentimus, illum ex animo colamus? Inutilis prorsus est ipsa Theologia, quæ non ad Cultum Numinis, veràmque tum in Deum tum in homines Charitatem, Theologum animet inflammétque. Si & hominum loquor (inquit S. Paulus) & Angelorum Linguis, neque Charitate sim præditus, sum

æs resonans, aut cymbalum tinniens. Et si tantum Divinationis habeam, ut omnia Mysteria, omnia arcana, Scientiámque omnem teneam, & tamen Charitate non sim præditus, nihil sum, 1 Cor. 13. 1, 2.

Utinam itáque considerare velint Literati quàm periculosa sit Inconcinnitas, Seraphicam Scientiam Affectibus Moribúsque parùm consentaneis dehonestare, & cum Statuâ Nebuchadnetzaris, aureo capiti luteos aptare pedes. Utinam pensiculatiùs cogitare velint, quàm pernicioſum sit Studii Genus, neglectâ Salutis curâ, neglectis Precibus, Meditationibus, Operibúsque piis, curiosas, abstrusas, subtilésque prosequi vel Theologiæ ipsius Speculationes, nedum frivola, & inania Doctrinæ inferioris nugamenta. Ab hisce tam avidè sectandis, si ulla esset æqua rerum æstimatio, ab illis autem audacter examinandis, investigandísque, si ulla reliqua esset apud homines Modestia, consultò abstinerent; & depoſito hoc pruritu, omnia cognoscendi, ipsáque arcana scrutandi, ad clara, necessaria, ac indubitata muneris sui officia, atq; ad Vitæ Legem, quam Deus cordibus suis inscripsit, aut Paginis sacris patefecit, animum applicarent, ut bene eis sit in Die novissimo. Etenim pro certo habendum est, cum nullis hominibus gravius, & severiùs actum iri in

eo

eo Die, quàm cum illis, qui miro Ingenii acumine, & exquisitâ Artium, Scientiarúmq; peritiâ præpollent, si fuerint interim à verâ Religione, à Vitâ Dei, rebúsque ad cœlestem Gratiam pertinentibus prorsus alieni. Ita Domini nostri stat sententia, Servus (inquit) qui cum heri sui voluntatem sciret, non mandata fecerit, nec ejus voluntati paruerit, graviùs vapulabit. Qui verò nesciverit, & plagis digna fecerit, leviùs vapulabit. Ac cuicunq; multum traditum fuerit, ab eo multum exigetur: Et quanto cuiq; plus commissum fuerit, tanto plus ab eo reposcetur, Luc. 12.47,48. Ubi Literis quidem accedit Pietas, beatior est Literatorum quàm vulgi conditio. Alioqui verò futurum est, ut eos quàm maximè pœniteat, se in Literarum studiis fuisse educatos.

Quanquam Virtus & Doctrina adeò non pugnant, ut altera ad alteram plurimùm conferat, in bonæ Indolis hominibus, quorum & Ingenia optimarum Artium Studiis tractabilia fiunt, & Oculis Honesti ac Sapientiæ Species clariùs obversatur; quanquam Pietatis Ardor ignis sacer est, quem Scientia rectè adhibita, instar olei, non extinguit, sed fovet; verendum tamen, ne, cum fatuis virginibus, dum toti sumus in oleo nostro comparando, à Nuptiis penitùs excludamur. Neque enim vel splendidissimum Scientiæ Lumen

men Charitate vacuum, nos idoneos reddit ad ſanctorum in luce participandam ſortem. Dæmon ipſe, quod vel à nomine ejus appareret, Scientiâ præditus eſt egregiâ; attamen uſque manet Cacodæmon, ac infernarum tenebrarum perpetuus incola.

Eruditionem politiſſimam Religionis expertem, longè ſuperant etiam pinguiores Ruſticorum Literæ, quas comitatur Pietas. Indoctus Agricola, qui ſincero amore Deum hominéſque proſequitur, honeſtámque & liberalem ex ſenſu Virtutis, rectéque factorum Conſcientiâ voluptatem percipit, multò fœlicior eſt Deóque acceptior omnibus Philoſophis, Phyſicis, Mathematicis, Metaphyſicis, qui in purâ putâ Contemplatione, & rerum Scientiâ Fœlicitatem ſuam ponunt. 'Multò melius eſt (inquit *S.Hieronymus) de duobus 'imperfectis Ruſticitatem ſanctam habere, 'quàm Eloquentiam peccatricem. Ac præclarum eſt illud Doctiſſimi ‖ Salmaſii, Libros nihil moror, & combuſtos omnes velim, ſi doctiores tantùm, non etiam meliores, qui dant illis operam, reddere idonei ſunt.

* *Hieron. in Ep. ad Nepot.*

‖ *Salmaſ. in Epiſ. 35. ad Crucium.*

Homo ſummi boni cognoſcendi, ac conſequendi capax, major eſt utique, & ad majora

jora genitus, quàm ut in lineis menſurandis, angulorum proportionibus examinandis, diverſis materiæ motibus conſiderandis, rebúſq; tantillis expendendis, per vitam totam verſetur, intereà vel neſciens, vel non cogitans ſeriò, unde ortus, aut quò brevi ſit reverſurus, & quis locus animam ejus excepturus ſit hiſce corporis compedibus ſolutam. Nec illi ipſi, qui Scientias Speculativas profitentur, ullo modo excuſandi ſunt, ſi Studiorum causâ Numinis Cultum negligant, aut ab augendis hominum utilitatibus, & commodis penitùs recedant. Horas Precum, ſtatáque illa tempora quæ peculiari jure Dei ac Religionis propria ſint, in literas ac humanas artes transferre, impii Sacrilegii eſt. Atque Studiis noſtris ſic impediri, ut eos quos tutari debemus, deſertos eſſe patiamur, ſummæ eſt Injuſtitiæ. Qui Doctrinæ, Philoſophiæ, Dicendi Exercitationi quàm maximè dediti ſunt, illi certè ad Dei Gloriam, & ad hominum utilitatem, ſuam Doctrinam, Philoſophiam, Prudentiam, Eloquentiámq; potiſſimùm conferre debent. Dum innumera divinæ Sapientiæ, Potentiæ, Bonitatiſque Documenta, tum in Cœlo, tum in Terris, tum etiam in ſeipſis contemplantur, Mortalium profectò ingratiſſimi ſunt, ſi rebus conditis penitùs immerſi, omnipotentis Conditoris, optimíque

Patris,

Patris, obliviſcantur, cui quotidiè animum elevare, & in cujus Admirationem & Laudes ſingulis horis prorumpere debent.

Quod autem attinet ad Theologiæ Candidatos, illi certè facilè agnoſcent ſibi id unum omnium eſſe maximum, ſummèque neceſſarium, ut inter bonarum Literarum Studia, veræ inſuper Pietati operam impendant; quando nec propriæ Saluti, nec Uſibus Eccleſiæ, nec divinis Oraculis inſervire poſſint, licet exquiſitiſſimis Ingenii omníſque Literaturæ Dotibus inſtructi, niſi ſimul Spiritu Chriſti, cœleſtíque Sapientiâ, Evangelicis Myſteriis amplexandis, percipiendíſque reddantur idonei. Dei Cultum, ſive privatum, ſive publicum, intermittere, aliis turpe eſt, Literatis Nefas, Theologis Crimen atrociſſimum.

Quin inſipida planè & rancida, imò valdè noxia & peſtifera eſt omnis illa Doctrina, quæ condimento caret Sanctitatis. Fortiùs ad Scelus armatur doctus Artifex, Vitiúmque animi gravius ſolùm, conſpectiúſque reddit Literarum Splendor, ubi nulla ſunt Vitæ morúmque Ornamenta. Te forſan homines vocaverint Abyſſum Eruditionis, Doctorum Solem, perpetuum Literarum Dictatorem. Atat! hei tibi, miſer! quàm vana ſunt hæc omnia, ſi divinæ Indignationi obnoxius, cum

omni

omni Claritate & Doctrinâ tuâ, mox ad umbras Tartareas, ad loca tenebrarum, ad infernam Abyſſum demigraturus ſis? Etiamſi vir fueris tantæ Eruditionis, quanta in unum hominem cadere poſſit, etiamſi reliquis omnibus, adeò præluxeris Linguarum diverſarum excellenti Peritiâ, Scientiarúmque perfectâ Panopliâ, ut ſupra humani Ingenii faſtigium poſitus videaris; crede mihi, doctiſſime Domine, non obſtabit omnis illa multiplicis Eruditionis varietas, atq; Ingenii Sublimitas, quò minùs pœnas apud Inferos daturus ſis æternas, niſi ad illam Doctrinæ & Ingenii Gloriam adjiciatur, quæ nunquam Stygias fertur ad umbras, Inclyta Virtus. Quocirca infinitè magis expetenda eſt Virtutis Pietatiſque Sinceritas, quàm omnium Linguarum, Artium, ac Scientiarum Laus & Gloria. Hæ forſan utiles ſint ad Ornatum, at illæ planè neceſſariæ ſunt ad Salutem. Sine his Deo optimo maximo placere, Animámque immortalem in ſempiternam vitam conſervare poſſumus; ſine illis non poſſumus. Omnis humana Scientia, quantacúnq; ſit, uſu ſuo, & proſpectu toto, intra breve hujus caducæ vitæ ſpatiolum concluditur. Anima verò noſtra poſt paucos dies, omnibus hiſce Artibus ac Scientiis æternum valedictura, & aliò migratura

gratura eſt, ad ſummam perpetuámque vel Beatitudinem, vel Miſeriam.

Cavendum eſt igitur ne tam inſano in Literas flagremus Studio, ut omne otium die noctéque iis applicemus, nihil autem temporis, nihil cultûs ipſi Numini, propriæque animæ impendamus. Quin Studiis Negotiiſq; quibuſcunque reluctantibus, in ſingulos dies, per unum ſaltem & alterum horæ quadrantem, pia Devotione, Meditatione ſeriâ, caſtiſq; precibus, rerum omnium Opificem ac Moderatorem auguſtè & ſanctè veneremur. Cum omni Eruditione Pietatem, nunquam ſatis laudatam, in primis colamus. Sapientiam illa animo, non Scientiam ſolam infundit, Mores cum Ingenio format, cupidines domat, & exultantes animi motus: adeò ut in omnibus vitæ Labyrinthis tutus ſit ab errore, qui hanc ſequitur. Ut Athletæ in Stadio oculos ad metam intendere debent; ſic Literati in Studiorum Curſu ad Pietatem; ſub cujus Auſpiciis, per ſemitas jucundiſſimas, ad beatam Immortalitatem, anhelis deſideriis, & fervido rerum Cœleſtium amore iter conficiendum eſt.

CAP.

CAP. III.

De vitioſis & corruptis Doctrinæ Studiis, déq; Impietate ac Moribus pravis complurium Hominum Eruditorum.

SI humanæ Artes hominem ſemper efficerent, non doctiorem modò, ſed ſanctiorem, & divinæ naturæ participem; ſi Lux Scientiæ Pietatis Zelo, ferventíque Virtutis amore animum jugiter accenderet, integráq; & incorrupta uſquequaque eſſent Doctrinæ Studia; Studioſos Eruditóſque magnoperè hortari ad Religionem ac Devotionis Exercitium opera eſſet planè ſupervacanea. Verùm longè aliter ſe res habet. In Orbe literario paſſim reperiuntur, apud quos Pietati, Virtuti, ſacríſque Officiis nihil eſt loci, homines, qui neque de Deo, neque de hominibus, neque de ipſis Literis bonis bene meriti ſunt. Juvenes ut plurimùm iſtiuſmodi ſolummodò Studiis tempus impendunt, (non quæ animos ſuos intrinſecùs ſanent, ſed) quæ ipſos extrinſecùs ornent, & Ambitioni ſuæ ad ſumma rerum collimanti, ſubſidia quædam, & adminicula ſubminiſtrent. Nec paucos videre eſt, qui firmatâ jam ætate caducæ ejuſdem Gloriolæ avidiores, adeò ſe totos

totos Literis tradunt, consecrant, devovent, ut Dei optimi maximi obliviscantur; atque dum cogitationes, mentem, ardorem animi, oculósque ipsos in artium humanarum studia perpetuò defigunt, sanctas Meditationes, Preces, Gratiarum Actiones, omniáque divini cultus Officia tam publica, quàm privata, aut planè missa faciunt, aut remissiùs obeunt. Quanquam longè præstat verè piorum, licet sine Doctrinâ, quasi calcem esse, quàm doctissimorum sine Pietate Coryphæum; Religionis tamen ac Pietatis Honestamenta pro nihilo ducunt; atque Numinis sacrosancti penitùs immemores, in profundis, ac impenetrabilibus Scientiarum Recessibus, quas curiosâ perscrutantur indagine, Sensus omnes sepultos habent. Arbori Vitæ prælata Arbor Scientiæ, in ipsis Mundi Incunabulis, Proœmio sane inauspicatissimo ingens malorum agmen secum adduxit. Quin & à primo isto ævo usque ad hoc nostrum, curiosa Eruditio Pietati antehabita compluribus hominibus quàm maximè pernicioſa atque exitialis fuit.

Non sum equidem vel erga Literatos invidus, vel erga Literas malè animatus, à quibus ego nullum confiteor ætatis meæ Tempus penitùs abhorruisse. Facessat à me procul incultus & agrestis Artium & Scientiarum contemptus,

contemptus, quæ utinam honore merito nunquam careant, nec ab ullis Studioſis negligantur, modò unà cum iis ſancta Religio diligentiùs colatur. Nolim igitur odioſè exaggerare, nec mihi valdè placeat ſigillatim recenſere, quàm graviter, ac quot modis Eruditione ſuâ abuſi fuerint Viri Docti. Ægrè profectò hoc Argumentum aggredior. Hominum, præſertim Eruditorum, nævos ac labes, crimina, vitiáque ſpectare ac oſtentare cum ullâ animi voluptate à Pudore noſtro, atque Charitate alienum eſt. Ut autem luculenter appareat, quantoperè Literatis neceſſariæ ſint Exhortationes, ac Incitationes ad Pietatis ac Virtutis Studium, animum meum licet averſantem induxi, variis illud Exemplis probare complurium hominum Eruditorum, qui in Sæculis ſuperioribus pulcherrima Scientiæ Dona tetrâ ſuâ Impietate, ac impuris moribus deformârunt. Faxit Deus, ut tot miſera Doctorum Naufragia moneant alios, quid periculi ſit vitandum, ne ad eoſdem Scopulos Studiorum ſuorum rationes appellant.

Antiquiſſimum è Doctis eſt Genus Poetarum, primáque Eruditio fuit Poeſis, quâ olim fundamenta ſua poſuerunt Literæ. A Poetis igitur initium faciamus; quorum Ars habeat quidem Laudes ſuas, Uſúmque magnum:

Si tamen consideretur quâ labe, imo quibus sordibus, ab ipsis ejus inter Gentilium Sapientes Primordiis, fuerit inquinata, major forsan censebitur ejus Abusus. Etenim si auferas Deorum Adulteria, Cædes, Furgia, Rapinas, Peccata innominanda; hominumque, quos imitandos proponunt, Mendacia, Amores impuros, Crudelitatem, Ambitionem, Tyrannidem; quin & Idololatriæ Ritus nefarios, ipsiusque Diaboli cultum; pusilli admodum erunt, qui nunc elephantini sunt, Poetarum antiquorum Libri. Authores isti celebres, qui Poetico furore, tanquam vino Dæmonum inflammati, summâ Arte & Curâ, sed sine Pudore aut Modestiâ, tot Scelera Libidinesque ita exposuerunt, ut aculeos in animis legentium relinquant, atque similes incendant Affectus: viri quidem docti fuerint, at minimè boni. ‘ Videsne, inquit M. Tullius, Poetæ ‘ quid mali afferant: lamentantes inducunt ‘ fortissimos viros; molliunt animos nostros; ‘ ita sunt deinde dulces, ut non legantur ‘ modò, sed ediscantur. Sic ad malam do- ‘ mesticam disciplinam, vitámque umbratilem ‘ & delicatam, cum accesserunt etiam Poetæ, ‘ nervos omnes virtutis elidunt. Rectè igitur ‘ à Platone educuntur ex eâ Civitate, quam ‘ finxit ille, cum Mores optimos, & opti- ‘ mum Reipublicæ statum exquireret. At

‘ vero

'vero nos docti ſcilicet ex Græciâ, hæc & à 'puritiâ diſcimus, hanc Eruditionem libe-'ralem & Doctrinam putamus. Cum autem meliores Ethnici putida illa, ac flagitioſa Poetarum Scripta à bonis omnibus, tum Viris tum Pueris, procul amandanda eſſe cenſuerint, iiſdem nihilominùs imbui Chriſtianam Juventutem, idque non rarò ſine ullâ caſtratione, utrum magis ſit mirandum, an dolendum haud dixero.

Spectemus, ſi placeat, Muſarum Parnaſſum, ſancto Monti Sioni longè diſparem. Turmatim nobis hic occurrunt qui Caſtalios Latices turpiſſimè polluerunt, Carmina fundentes, exculta, perpolita, diſertiſſima; ſed compoſita tamen tartareo potiùs quàm cœleſti aliquo mentis Inſtinctu. Ecce Primipilos iſtos, Homerum, & Heſiodum, Parentes & Magiſtros Græcæ Poeſeos; Heſiodum virum perelegantis Ingenii, & molliſſimâ Carminum dulcedine memorabilem, Homerum Poetarum Principem, atque multorum judicio Doctrinæ omnis Fontem & Originem. At verò horum uterque, cum omni ſuâ Eruditione atque Eloquentiâ, eò dementiæ, ac impietatis proceſſit, ut non tantùm augeret mirum in modum Deorum numerum, ſed & turpia quævis de Diis comminiſceretur, illiſque Stupra, Inceſtus, Contentiones, Pugnas, Furta, Homicidia tri-

buerit. Hos ſequantur duo alii Poetæ, Iambico carmine celebres, Archilochus, & Hipponax; quorum Archilochus, crudeliter ingenioſus, Iambum armavit ad maledicta, & contumelias, Lycambe Socero ad ſuſpendium impulſo; Hipponax tantò magis incendit, quantò facilius Inventis addere. At pudet Inſtrumentum Oblectationis, traductum in perniciem, impleviſſe ferrum & laqueum. Ipſi Muſarum Perilli ſuo Invento opportuniùs periiſſent.

His accedant Anacreon, Euripides, Ariſtophanes, Theocritus aliique Græci Poetæ. Anacreon Carmina ſuaviſſima, ſed minùs honeſta concinebat, poſt acino ſuffocatus, Fato ad temulentam, qualem traduxerat, vitam accommodato. Euripides ſceleſtas, atq; impuras fœminas in ſcenam adduxit, Populúmq; earum turpitudine infecit. Ariſtophanes facetiſſimus quidem, ſed & obſcœniſſimus veteris Comœdiæ Scriptor fuit, ipſiúſque Socratis Obtrectator impudentiſſimus. Theocritus in ſuo genere admirabilis, juſſu Hieronis ob maledicentiam occiſus. In Græciâ etiam, Poeticâ Arte claræ erant Mulieres; cùm Sappho & Erynna ſcriptis carminibus Orbi innotuerint; longè clariores ſi acumen Ingenii Caſtimoniæ laude honeſtaſſent.

A

A Græcis veniamus ad Romanos. Plauto, antiquo illo, eruditóque Poetâ Comico, quid venuſtius? quid terſius? Omnem in ſe comprehendit Latinitatis florem. Veruntamen eodem Plauto, quid fœdius, ſi obſcœnos ejus jocos, moréſque molles & effœminatos ſpectemus? Quid dulcius Catullo, Græcarum Venerum ingenioſo Interprete, Latinæque Puritatis Cuſtode religioſiſſimo, cui Docti Titulus ab Coævis ſuis tributus eſt? At verò non minùs Laſcivi cognomen meruit, quòd caſtiſſimam Linguæ Romanæ Venuſtatem, ſalibus parùm caſtis inquinaverit. De Ovidio quanta dicuntur, & in Laudem ejus, & in Vituperium? Lacteâ ille Eloquii venâ, facili Proprietate Verborum, Sententiarum appoſito Lepore, utilíque Acumine cuivis conferendus; quin & inexhauſtâ Inventionis Copiâ, candidâ ſenſuum Perſpicuitate, varietate ac divitiis omnigenæ Doctrinæ, lævíque ac rotundâ carminum compoſitione, cuivis præferendus eſt veterum Poetarum. At at! Ingenium ejus tam mirificum corruptela Morum adeò infamavit, ut vix laudari poſſit ſine culpâ. Titus Petronius Oratione tum ligatâ tum ſolutâ, Scriptor venuſtus, inter paucos Familiarium Neroni aſſumptus eſt Elegantiæ Arbiter; ſed & Nequitiæ Arbitrum appellâris, qui ſpurciſſimè ac obſcœniſſimè, Imperatoris atque

Procerum Flagitia, non minore Flagitio publicavit. Neque ab ejus ſtudiis vitiiſq; alienus fuit Valerius Martialis argutiſſimus ſimul & fœdiſſimus Epigrammatum Scriptor, quorum non pauca ob laſcivam Verborum Nuditatem, putidamque rerum Turpitudinem, indigniſſima ſunt quæ oculis caſtis obſerventur. Nimium Lectori tædium parerem, ſi ſequentium porrò Sæculorum Poetas, eodem cothurno incedentes, memorarem; qui Scriptis ſuis Nequitiam turpem, aut commendantes aut docentes; quo eruditiores fuerunt, atque acutiores, eò faciliùs Poſterorum Mores corruperunt.

Nec Poetas ſolùm, ſed Oratores, Hiſtoricos, atque Philoſophos complures fuiſſe conſtat, qui majorem in modum Literis & Scientiis, ſed Pietati ac Virtuti parùm ſtuduerint. Sæpius Oratores ipſi Artis ſuæ Fini, ad quem à Deo deſtinata eſt, contradicunt: dum miro verborum Apparatu ſuadendum diſſuadent, & diſſuadendum ſuadent; laudandum vituperant, ac vituperandum laudant, defendendos accuſant, accuſandos defendunt. Quàm perverſè Eloquentiâ ſuâ abuſi fuerint teſtis ſit ipſe Cicero. 'Sæpe, inquit, & multum hoc 'mecum cogitavi, bonine an mali plus attu-'lerit Hominibus & Civitatibus, Copia di-'cendi, ac ſummum Eloquentiæ Studium. 'Nam cum & noſtræ Reipublicæ detrimenta

'con-

'conſidero, & maximarum Civitatum veteres
'animo Calamitates colligo, non minimam
'video per Diſertiſſimos homines invectam
'partem incommodorum. Definitus quidem
eſt Orator & ab Æſchine, & à Catone, Vir
bonus dicendi peritus, quaſi Facultatis Ora-
toriæ inſeparabilis comes ſit virtus moralis.
His autem palam repugnant, tum Ratio, tum
Experientia. Quis enim non videt, quàm
diverſæ res ſint Bonitas & Eloquentia? Certè
quidem Eloquentium hominum, qui malè au-
diverunt non pauci Memoriæ proditi ſunt.

Inter illos ſine injuriâ numerari poteſt Atheus iſte Lucianus, qui omnem Religionem ludibrio habuit, cui non ſatis fuit Gentilium Deos exſibilare, omnéſque hominum Ordines Scommatis ſuis ferire, niſi ipſi etiam Chriſto Mundi Servatori maledixerit, nominans eum Sophiſtam de palo ſuſpenſum: unde & Blaſphemi cognomen ſibi diabolicis ſuis Calumniis acquiſivit: atque tandem Improbitatis ſuæ pœnas luit graviſſimas, nam à canibus devoratus miſerè interiit. Idem tamen vir fuit multâ Eloquentiâ, ac variâ Eruditione, ad Stylum quod attinet, Scriptor facetiſſimus, feſtiviſſimus ac politiſſimus. Huic accedat Libanius Antiochenus, Declamator miré diſertus, ſed inſigniter ſceleratus, qui Conſtantinopolim profectus, ibi Ludum

aperiit, unde propter lascivum in pueros amorem, pulsus, Nicomediam venit, indéque eandem ob causam rejectus, in Patriam reversus est. Quid; quòd deterrima illa monstra, Dionysius, Nero, Caligula, Nitore, Facundiâ atque Copiâ dicendi celebres fuerint? Quid; quòd Literis sacris proditum est, de impio isto ac truculento Rege Herode Agrippa, istum scilicet in Solio sedentem tantâ Facundiâ Orationem ad Populum habuisse, ut acclamaretur divinam esse, non humanam Vocem? Cúmque Rex Adulatoribus istis tacitè assensus esset, Gloriámque quam Numini tribuere debuisset sibi ipse arrogasset, confestim à Domini Angelo ictus, & à vermibus erosus, expiravit, Act. 12. 21, 22.

Ab Oratoribus procedamus ad Historiarum Scriptores, qui Monumenta reliquerunt, non Doctrinæ solùm suæ, sed & improbæ Corruptionis. Historico Virtus quàm maximè necessaria est Fides; ut in rerum gestarum narratione nudam veritatem exponat, sive illa sibi probentur quæ gesta sunt, sive improbentur. In Historicis Expositionibus, fingere quicquam quod cupias fuisse factum, nihil aliud est quàm, pro salubri succo, Lectorum animis venenum propinare. Inventio tamen mendax, per studia partium in Historias doctissimas non rarò penetrat; & veritas, etiam

ubi

ubi eam quàm ſanctiſſimè colendam eſſe omnes homines fatentur, victa ſtudiis iſtis, aut rationibus Utilitatis, pro affectibus narrantis, aut expreſſa, aut ſuppreſſa, aut aliquo mangonio corrupta reperitur. Nonnulli etiam, cum ex antiquis Monumentis Hiſtorias contexunt, licet ob diſtantiam Sæculi de cujus geſtis ſcribunt, nullis Partium Studiis abripiantur, de veritate tamen parùm laborantes, ea eligunt quæ maximè mirabilia videntur, faciliúſque, exornari poſſunt, ut grandiori orationi materia ſuppeditetur. Etenim, dum Eruditionis Famam ambitioſiùs affectant, non tam in rebus verè narrandis, quàm in Oratione eleganter componendâ Induſtriam ponunt.

Hiſtoriæ Pater dictus eſt Herodotus; dubitatur, utrum Majeſtate rerum grandior, an Dictionis Suavitate jucundior? Sunt nihilominùs in illo frequentes Fabulæ, ab aliis Scriptoribus apertè confutatæ: Nec faceta ſolùm ſed malitioſa etiam Mendacia tradidit, ſi Plutarcho fidem habeamus, qui Libellum ſcripſit de Malignitate Herodoti. Utri horum potiùs credendum ſit judicent Lectores. Uterque forſan Scriptor mendax & iniquus eſſe poteſt: Sed ut uterque verax & juſtus ſit, fieri non poteſt. Cúmque utriuſque celebretur Eruditio rei confirmandæ, de quâ

nunc

nunc dico, ex æquo inſervit, ſive hic, ſive ille doctæ Mendacitatis ac Malevolentiæ coarguatur. Quin de ipſo Plutarcho, qui tam acri cenſurâ in Herodotum animadvertit, haud mitiorem ſententiam alii tulerunt. * 'Opuſculo eo, inquit 'Voſſius, quod de Malignitate 'Herodoti inſcripſit Plutarchus, amore quo'dam Patriæ (ut magnis Ingeniis uſu venire 'ſolet) longiùs abreptus, maligniorem ſe ipſe 'erga Herodotum præbet. Ac Bodinus ait, 'Græcos Principes cum Græcis, & Romanos 'inter ſe, Plutarchum quidem bonâ fide com'paraſſe: Græcos verò cum Romanis non 'item.

* *Voſſ. de Rhetor. Natur. p. 67.*

Sed de hiſce plus ſatis. Pergamus ad alios magni Nominis Hiſtoricos. Quintus Curtius floridus, argutus, & mirè diſertus eſt; nec perſpicuè minus quam terſè ſcribit. At Eloquentiæ ſæpenumerò plus litat quàm Veritati, & ubi Rhetoricos omnes Colores in Oratione exornandâ abſumit, Officium Hiſtorici negligit, violatque. Quas in Antiquioribus Scriptoribus invenit * Fabulas, & quas Veri amans Hiſtoricus, aut prætermiſiſſet, aut commemoratas arguiſſet Mendacii, avidè arripuit, atq; pro veris, magnificâ Oratione deſcripſit. Hoc enim

* *Hoc variis Exemplis oſtendit Vir Doctiſſimus, Joannes Clericus, in Artis Criticæ Parte Tertiâ.*

enim ſelegit Argumentum, non tam ut doceret, quid verum eſſet in Alexandri Hiſtoriâ, quidve laude aut vituperio dignum; quàm ut Elegantiam Styli, & Facultatem dicendi oſtentaret. Tacitus ſummus Author & ſummè utilis habetur, cum privatis hominibus, tum Principibus ac Gubernatoribus; eum autem ob Calumnias adverſus Chriſtianos, Scriptorem, omnium ſceleratiſſimum Budæus, mendaciſſimum Tertullianus appellavit. In Flavio Philoſtrato ſtylum ac Facundiam mirari poſſis; at Liber ejus de Apollonio Tyanæo Figmentum eſt rabioſum & blaſphemum, Mendaciis impudentiſſimis amplificatum; cui tamen Gentiles nonnulli fidem habentes, Apollonium Chriſto Domino æqualem eſſe exiſtimârunt; quaſi Magus iſte famoſiſſimus, vel paria feciſſet, vel etiam majora. Eunapius ſatis doctus, ſed non parùm impius, paſſim Odium ſuum erga Chriſtianos prodit. Qui Pietate ſingulari Imperium ornarunt, eos omnino largiter vellicat, atque traducit, maximéque omnium Conſtantinum magnum; impios contra extollit, ac præ Cæteris Julianum Apoſtatam, ut ferè ad hunc laudandum de Cæſarum rebus geſtis opus iſtud ſuum elaboraſſe videatur. Moleſtum eſſet & tædii pleniſſimum omnia Hiſtoricorum, id genus, exempla congerere.

Quid

Quid autem cenſendum eſt de Philoſophis doctis, quos virtutis Magiſtros Cicero vocat, à quibus vitiorum peccatorúmq; noſtrorum petenda eſt Medicina? Ecce, de iiſdem idem Cicero hanc Sententiam tulit, 'Nihil tam 'abſurdè dici poſſe, quod non dicatur ab ali-'quo Philoſophorum. Ac quotuſquiſque, in-'quit, Philoſophorum invenitur, qui ſit ita 'moratus, ita animo ac vitâ conſtitutus, ut 'ratio poſtulat, qui Diſciplinam, non oſten-'tationem Scientiæ, ſed Legem Vitæ putet, 'quique obtemperet ipſe ſibi, & decretis ſuis 'pareat. Videre licet alios tantâ levitate, iis 'ut fuerit non didiciſſe melius: alios Pecu-'niæ cupidos, nonnullos Gloriæ: Multos 'Libidinum Servos, ut cum eorum 'vitâ mirabiliter pugnet Oratio, 'quod quidem eſt turpiſſimum.

* 2 *Tuſcul.*

Magnam Studiorum partem Rationi ſuæ rectè formandæ non immeritò addicunt Philoſophi: tamen ſæpenumerò à rectâ Ratione, à Veritate, à Sapientiâ, ab omni Virtute illi ipſi doctiſſimi homines quàm maximè deflectunt, qui profitentur Artem Ratione ſuâ benè utendi. Cúmq, Religionem & cultum divinum aut contemnant, aut negligant, juſto Dei Judicio, fœdis iſtis Vitiis dediti ſunt, quæ Rationem ipſam corrumpentia, animi in judicando æquabilitatem tollunt. Etenim ſi accuratiùs

curatiùs diſpiciamus, quidnam in cauſâ ſit, cur huic Opinioni potiùs, quàm alteri, fidem & aſſenſum oppignorent, reperies eos ſæpenumerò, non ab Idæarum claritate, non à rationum Momentis, penitioríque Veritatis Inſpectione, ſed à Philautiâ, Utilitate & Affectibus inclinari, atque ſeduci. Hæc illa ſunt, quæ magna pars hominum etiam Literatorum, ac Philoſophorum in Sententiâ ferendâ primò conſulunt, & quæ latam jubent eſſe ratiſſimam. Hinc tanta apud eos Judiciorum varietas, ut quæ ab aliis dubia, vel etiam falſa eſſe creduntur, ab aliis habeantur pro certiſſimis. Hinc tot non abſurda ſolùm, ſed impia dogmata; hinc tam pravi mores hominum complurium, qui magnum in Philoſophis nomen habuerunt.

Si omnem Scientiam & cognitionem, cujus mens humana capax ſit contemplemur, nihil menti evidentius apparet, quàm Deum eſſe. Quicquid Deus fecit id probat. Quicquid homines & bruta faciunt, idem etiam probat. Quicquid cogitamus, videmus, ſentimus, id probat. Neque enim oculos in Cœlum tollere, neque in Terram defigere, neque in noſmetipſos vertere poſſumus; imò neque in formicam aut muſcam, neque in herbam aut fruticem; quin animos ſtatim noſtros, infinitæ illius, à quâ omnia condita ſunt, Sapientiæ, Potentiæ, ac Bonitatis Admiratione

miratione perculsos, & planè victos esse sentiamus. Quid plura? nihil est quod Supremi Numinis Existentiam non probat; aut saltem quod Ingeniis attentis, ac rerum omnium Authorem exquirentibus illam non possit probare. Eruditi tamen Philosophi fuerunt, (O miram cœcitatem!) qui de Existentiâ Dei dubitârint, quique aperti juratique athei Deum esse negârint. Cicero in ipso limine primi Libri de Naturâ Deorum, tres hujus farinæ Sophistas memorat. Deos esse dubitasse Protagoram, nullos esse omnino Diagoram Melium & Theodorum Cyrenaicum putavisse dicit. His accedat Bion Borysthenites, qui cum sermonibus, tum Libris editis, fertur palam & audacter suam adversus Existentiam Numinis Opinionem defendisse. Necnon Leucippus, & Democritus, qui è rerum naturâ causam effectricem de industriâ sustulerunt. Epicurus verò, quos esse voluit, Deos ita descripsit, ut secundum ipsius Principia, nulli esse possint: atque cum quasi corpora, & humanâ figurâ, sine soliditate esse dixit, perinde est ac si nihil omninò esse dixisset. Cúmque Providentiam Diis suis negaverit, eo pacto nullum eorum cultum reliquit. Zenoni, & Stoicis Æther videtur summus Deus, mente præditus quâ omnia reguntur. Unitatem autem Deitatis omnes fere Gentiles Philosophi Polytheismo suo impugnabant. De

De Virtute etiam & Vitio perquàm improbæ fuerunt non paucorum Philosophorum Sententiæ. Princeps ille Ingenii & Doctrinæ, Plato, quem quasi quendam Philosophorum Deum Cicero vocat, non solùm pro bonorum Communitate, quâ omnis Industria frangitur, atque turpi Ignaviæ lata aperitur fenestra; verùm etiam, quod longè pejus est, pro Communitate Uxorum seriò disputat. Zeno cæteríque Stoici affirmant, Sapientem nunquam cujusquam delicto ignoscere: Neminem misericordem esse, nisi stultum & levem: Viri non esse vel exorari vel placari: Omnia peccata esse paria; nec minùs delinquere eum, qui Gallum gallinaceum, cum opus non fuerit, quàm eum qui Patrem suffocaverit. Aristippus, & Cyrenaici, posthabitâ omni Virtutis & Vitii ratione, Felicitatem omnem in Corporis Voluptate, ac sensuum titillatione posuerunt.

Nec meliores fuerunt Vitæ moresq; Philosophorum quorundam, quàm Dogmata. Diogenes ille Cynicus Phrynen quadrantariam Mœcham aluit, eique palam in apertis vicis stuprum intulit. Speusippus Adulterio compertus, in ipso nefario Scelere Animam efflavit. Aristippus, Crates, Hipparchus, & Xenophon pædicones fuerunt. Cleanthes, Chrysippus, Zeno, Cato, & Cleombrotus sibimet ipsis

ipſis mortem conſciverunt. Celſus Epicureus, erga Platonis etiam Scholam benè animatus, Fidem, Moréſque Chriſtianorum, peculiari Libro, quem ἀληθῆ λόγον inſcripſit, calumniis falſiſſimis oppugnavit. Porphyrius inter varia, quæ condidit, docta Volumina, Libros quindecim iniquiſſimos contra Chriſtianos edidit: unde rabidus adverſus Chriſtum * Canis audit Hieronymo. Hierocles Perſecutionis ſub Diocleſiano ferventis, Auctor crudeliſſimus, Bithyniæ primùm, deinde Alexandriæ, in Chriſtianos mirè deſæviit; nec hoc contentus, ſcriptis in eos duobus virulentis libellis, ulteriùs adhuc inſecutus eſt.

* *De Scriptor. Eccl. in Præfat.*

Quod autem maximè omnium dolendum eſt, non ſolùm apud Ethnicos, ſed etiam in Orbe Chriſtiano, triſtia Eccleſiæ Monumenta docent, Sæculis omnibus repertos eſſe permultos Homines Eruditos, qui tamen vitâ non ſatis probatâ fuerint; imò & inter eos nonnunquam manifeſtè impios, Profeſſione quidem ſuâ Chriſtianos, atque aliorum Exiſtimatione Doctiſſimos, ſed re ipſâ & Doctrinæ, & Chriſtianitatis Propudia. Horum nonnulli Athei fuerunt, complures Hæretici, fraudulenti, perfidioſi, ſuperbi, arrogantes, maledici, contumelioſi, referti Invidiâ, Malitiâ, Avaritiâ, Libidine, Obſcœnitate, Spurcitiâ, Vitiiſque fœdiſſimis. Utinam

Utinam in primis nulli unquam fuissent in Orbe vel Christiano vel Literario, qui omnem Devotionem piam, cultúsque divini studium omne, cum contemptu, & sannis exceperint, tanquam Superstitiones aniles, res vanissimas, ipsâque Stultitiâ stultiores! Utinam hisce proximis Sæculis nullos unquam vidisset Europa, qui reconditioris Philosophiæ specie, atque in Doctrinæ suæ, vel Audaciæ Ostentationem, omnes Virtutis & Officii rationes apertè tollere, ipsamque Religionem, ejusque cunctis Gentibus sanctissimas Leges evertere conati sint. In isto hominum genere notissimus fuit Lucilius Vaninus, Philosophus, Theologus, Medicus, ac Juris utriusque peritus, qui præfractè Deum negans, postquam per Libros pestilentissimos virus tetri Dogmatis tectè in animos hominum insinuare conatus fuerat, atque Juvenes non paucos seduxerat, tandem convictus, atque ad extremum usque à Blasphemiâ nihil remittens, debitum pertinaci Impietati Supplicium Tholosæ flammis exolvit. Ad rogum tractus Christo ipsi illusit in hæc verba, * *Illi in extremis præ timore imbellis fudor, ego imperterritus morior.* At falsò sane imperterritum se dixit sceleſtus homo, qui dejectus animo Philosophiâ suâ pessimè usus est. Erat

* *Vide Gab. Barth. Gramond. Historiarum Galliæ ab excessu Henrici quarti, lib.* 3.

illi in extremis aſpectus ferox & horridus, inquieta mens, anxium quodq; loquebatur, & quanquam Philoſophicè mori ſe clamabat identidem, obiiſſe ut brutum nemo negaverit.

Deque immani hoc Atheiſmi Vitio accuſatur Hobbius noſtras; Vir ingenti Mentis robore, Judicio acri, & non vulgari Linguarum, ac Scientiarum Peritiâ: Author tamen, non ſolùm multorum in Philoſophiâ Paradoxorum, ſed etiam novarum impiarumque in Religione Opinionum. Summo Numini talia attribuit, quæ ipſam ejus evertant Divinitatem. Atque multos Juvenes generoſos execrabili ſuâ doctrinâ infecit. Robertus Parſonus in Concione funebri ad Exequias Joannis Comitis Roſſenſis, hæc refert. Comitem in extremis dixiſſe, 'Stultam illam & 'abſurdam Philoſophiam, quam tantopere 'admiratur Mundus, Authoribus Hobbio, 'Aliiſq; ſe, Alióſq; optimæ indolis de Gente noſtrâ, peſſum dediſſe. Mora eſſet ſi cæteros memorem, qui Scriptis haud indoctis Titanicæ hujus Impietatis ſemina ſparſerunt, ac in ipſis Scientiæ, Cognitioniſq; Studiis colendis, rejiciendæ & extinguendæ Dei cognitioni operam dederunt. Sæpius enim, quod non ſine mœrore dicere liceat, acciditſſe vidimus, ut nulli in Atheiſmum ſint procliviores,

quàm

quàm qui rerum omnium cognitionem, earum præsertim quæ à naturâ occultæ sunt, omnibus vestigiis indagare profitentur: nempe doctis suis Contemplationibus, non nisi ut innatæ Mentis curiositati, in causarum secundarum considerationè, satisfaciant, Dei, suiq; securi & negligentes, abuti solent.

Quod autem ad Hæreses, & Schismata attinet, quæ Religionis ac Fidei Fundamenta violant, Ecclesiæ Pacem ac Unitatem impetunt, magnâque clade rem Christianam afficiunt, si in eorum ortum inquiramus, non imperitæ Plebi, sed doctis Authoribus, tribuenda esse constat. Vir non indoctus fuit Simon Magus, qui tot Errorum, ac Blasphemiarum portenta commentus, toti Hæreticorum Pesti, tam Dogmatibus, quàm Exemplo prælvit. In Philosophicis Scientiis eruditus fuit Cerinthus, quem ut refelleret, Evangelium suum edidisse D. Joannem, Author est Irenæus. Gnostici, quorum Antesignanus fuit Basilides, Menandri Discipulus, propter Excellentiam Scientiæ sic se appellatos esse, vel appellari debuisse gloriabantur. Valentinus, Carpocrates, Epiphanes & alii Gnostici, qui flagitiosissimas Libidines licitò perpetrari posse docuerunt, Scholæ Platonicæ Sectatores fuerunt, ac toto Disciplinarum cursu instituti. Ptolemæus, qui Basilidis, Valentini,

lentini, & Gnoſticorum Dogmatibus peſſimis nonnulla adjecit, vir fuit, fatente Epiphanio, longè doctiſſimus. Bardeſanes Græcè & Syriacè callens, ſermone diſertiſſimus, & in diſputando acerrimus, cum Fidem Chriſtianam, per multos annos, fortiter aſſeruiſſet, tandem in Errores Valentini, non obſtante omni ſuâ Doctrinâ, dilapſus eſt. Theodoſion, qui vetus Teſtamentum docto labore, Græcè tranſtulit, Chriſtianam fidem profeſſus, tetræ Marcionis Sectæ ſe dedit, iſtíque poſtmodùm Hæreſi infenſus, Religionem Chriſtianam penitùs deſeruit, & detracto præputio, ad Judæos defecit. Novatianus, qui ob Indulgentiam erga lapſos pœnitentes in tam grave Schiſma erupit, Philoſophiâ, ac liberali Eruditione inſtructiſſimus fuit. Hunc malignè doctum Pœnitentium cenſorem, atque arroganter ſupercilioſum Hæreſiarcham, ſuis coloribus ita depingit* Cyprianus. 'In perniciem 'Fratrum, inquit, linguâ ſuâ perſtrepit, & 'facundiæ venenatæ jacula contorquet, ma'gis durus Philoſophiæ ſæcularis pravitate, 'quàm Philoſophiæ Dominicæ lenitate pa'cificus, Deſertor Eccleſiæ, Miſericordiæ 'hoſtis, Interfector Pœnitentiæ, Doctor Su'perbiæ, veritatis Corruptor, Perditor Cha'ritatis.

* *Cyprian. in Epiſt. ad Cornelium.*

Arius

Arius toto Orbe, & per omnia retrò Sæcula famoſiſſimus, qui fidem in Capite petens, Chriſtum Deum negavit, ſi rem literariam ſpectes, vir erat planè acutus & eruditus: cúmque homo verſatilis ingenii, fucatis Explicationibus, Opinionum Portenta, pro re natâ emollire, ſeu potiùs tegere ſoleret; eum mitiùs quidem punivit Conſtantinus, eluſus Pœnitentiæ Specie. Ut verò caveant Eruditi, ne peſtilentiſſimo Orci toxico Doctrinam ſuam miſceant, impius Inferni Filius, divino tandem telo percuſſus, & novo Lethi genere raptus, in alvo ſolvendâ, una cum inteſtinis projectis, infœlicem Animam peſſum efflavit. Neque Vir indoctus fuit Euſebius Nicomedienſis, qui Arium Hæreticum ab Epiſcopo proprio damnatum & ejectum, in clientelam ſuam recepit, ejúſque cauſam gnaviter egit. Alíique fuerunt eo Sæculo Epiſcopi, quorum præclara Scientia atque Eruditio non ſatis efficax fuerunt Amuletum contra virus Arianum: inter quos numeratur Theodorus Heracleotes, vir teſtimonio Theodoriti ſingularis Doctrinæ; & Aſterius Cappadox, eruditus Sophiſta, qui ipſi Ario familiaris, Epiſcoporum Arianorum Gratiam omni obſequio aucupatus eſt, Literíſque eorum commendatus, per Syriæ Urbes aliáſque Eccleſias obambulavit, & captatâ inter Clericos fede libros quos pro Opinione

Arianâ compoſuerat, publicè recitavit. Eodem quoque Sæculo non minùs Literis clarus, quàm Familiâ nobilis, ac prædives opibus, Priſcillianus ex Gnoſticorum & Manichæorum dogmatibus, additis proprii fundi nonnullis, novam Hæreſin conflavit; atque complures ſubdolis Artibus, ac fictâ morum Gravitate, in in Societatem ſuam allicuit. * Erat enim, inquit Sulpitius Severus, vir acer, facundus, multâ Lectione eruditus, diſſerendi ac diſputandi Promptiſſimus; fœlix profectò ſi non pravo ſtudio optimum ingenium corrupiſſet.

* *Sacr. Hiſt. lib. 2.*

Nec à Literis abhorruit Donatus Carthaginenſis Epiſcopus, qui impii Schiſmatis Dux, Sectæ turbulentiſſimæ nomen dedit. * Scripſit, teſte Hieronymo, multa ad Hæreſin ſuam pertinentia opuſcula, & in his Librum de Spiritu Sancto, in quo Dogmati Ariano conſentanea docuit. Noſtràq; Inſulâ ortus Pelagius, qui peccatum Originale funditùs ſuſtulit, divinam Gratiam extinctam voluit, liberumque arbitrium eò uſque ampliavit; Vir erat miro Ingenii acumine, & meliorum Literarum ſcientiâ præditus. Ejuſq; diſcipulus Cœleſtius tum Doctrinæ Famâ, tum Pietatis ſpecie, plurimorum Clericorum Gratiam ſibi concilians Hæreſin Magiſtri longè latéque diſſeminavit.

‖ *De Script. c. 93.*

Julianus

Julianus etiam alter Pelagii Discipulus, qui Libris pro Hæresi istâ tuendâ, se totum dedit, vir erat Græcè & Latinè doctus, tantâque Facundiâ pollebat, * ut Romanus Demosthenes vulgò haberetur. De hisce autem satis superq; dictum est.

* *De Hæreticis doctis plura videsis, Lellio, in Irenæo, Tertulliano, Epiphanio, Augustino, & ex Recentioribus, in V. Cl. Gulielmo Cavio; cujus Historiæ Literariæ in hisce Exemplis colligendis vix pauca accepta referre debeo.*

Jam consideremus Dolum malum, atque Fraudes Eruditorum Hominum inexpiabiles, qui Veteribus adscripserint tot falsos & supposititios Libros; adeò ut difficile sit adulterinos fœtus à veris secernere. Passim conqueruntur Patres de harum Fraudum doctis Artificibus, qui ut Operibus suis Authoritatem conciliarent, ea celebris cujusdam Antiqui Scriptoris, imò & Apostolorum ipsorum Nominibus inscribere ausi sint. Hieronymus varios memorat Libros supposititios, qui tam * Apostolorum, quàm Antiquorum Patrum nomina præ se tulerunt. Ex istis autem Veteratoribus, qui confingendis & supponendis Scriptis operam dederint, nonnulli quidem Scriptoris, quem simulare instituunt formam, colorem, & pondus, tam crassè ineptéque exprimunt, ut fraudem odorari facile sit. Sed

* *Hieron. de Scriptor. Eccles.*

præter hos vafri etiam, & ingenioſi ſunt Impoſtores, qui tantâ Arte Stylum transformant, & perſonam alienam induunt, ut fucus nemini, niſi qui naſo ſit ſagaciſſimo, oculiſque perſpicaciſſimis, patere queat. Cæterùm quò quis doctior eſt in ſceleratâ ſuâ fraude concinnandâ tegendâque, ut pluribus imponat, eò deterior, ac peſtilentior eſt. Alii, iique non indocti homines, licet Patribus non ſupponant Adulterinos Fœtus, in ipſis tamen genuinis Patrum ac veterum Scriptorum Libris, tum ſimulantes, tum diſſimulantes, nonnunquam ad Authorem aliquid de ſuo, & quod non habebat attexuerunt; nonnunquam eum truncaverunt, & quod ad palatum non faciebat ſuſtulerunt. Hinc Criticæ non minima pars eſt, quæ nos docet Loca, & Scripta ſpuria à genuinis ſecernere, indiciáque tradit, ex quibus has Doctorum Fraudes deprehendere, Libróſque ſuppoſititios aut interpolatos dignoſcere liceat. Tot ſunt harum Fraudum Exempla ut ſingula proſequi eſſet immenſum. Eorum quàm plurima videre eſt in Joannis Dallæi Pſeudepigraphis Apoſtolicis, in Libris ejuſdem de uſu Patrum, in Riveti critico ſacro, in Roberti Coci cenſurâ quorundàm Scriptorum, qui ſub Nominibus Sanctorum & veterum Auctorum citari ſolent, atque in Joannis Clerici Arte Criticâ.

Jam

Jam verò de Superbiâ, Arrogantiâ atque Ambitione; ſunt iſta ſane Hominibus Eruditis ſolennia vitia. Superbia morbus eſt multorum communis, præſertim Literatorum; licet eam pauci ſentiant, aut conſiderent, quòd ſeipſos extollendo ruinam ſuam ſibimet accerſant. Utique ignorare videntur vel erudita iſta Gloriolæ mancipia, quæ vera ſit Gloria, & quemadmodum petenda, umbrámq; Gloriæ avidè captantes, veram, ſolidam, ſempiternam, fugiunt & averſantur. Scientiam inflare doctiſſimus aſſerit Apoſtolus, cui, ne Revelationum excellentiâ nimium ſe efferret, ſtimulus in carne inditus eſt, Angelus Satanæ qui illum colaphis cæderet. Sæpiſſimè fit, ut Docti Homines, magnâ quadam & ventoſâ de ſeipſis Opinione tumentes, ſanam rectámque Rationem cerebro ſuo circumſcribant; alios autem oppidò contemnant deſpiciántque. Nihil ferè conſpectius eſt in Literatis, præſertim Juvenibus, quàm animi Elatio. Hi ſunt plerumque, qui, eò quod boni malíque ſcientes ſint, ſe Deo ſimiles eſſe putent, indoctos autem vix hominum loco habeant. Hi ſunt, qui neminem à ſe diſſentire, per Arrogantiam pati velint; quique facilè ſibi perſuadeant, omnes ipſorum cogitationes, omnes Sententias eſſe tam claras, támque evidentes, ut illas propoſuiſſe, ad aſſenſum,

assensum, & fidem à quovis extorquendam sufficiat, cúmque turpissimè hallucinati sunt, malunt Errores suos defendere, quàm errasse se confiteri. Paucos admodum vidimus Philosophos acutos, subtiles Disputatores, Oratores politos, quorum consummata Eruditio pari Modestiâ condita fuerit. Critici verò & severiores Aristarchi, qui à Supercilio, ac Fastu alieni fuerint, reperti sunt ferè nulli.

Quos hæc Ætas protulit Philosophi novi, Antiquos nihili facere solent. Quotusquisque verò est Recentiorum, quascunque Literas tractantium, qui Antiquis Authoribus Eruditionis suæ partem non debeat maximam, qui prioribus saltem Fundamentis Fabricam suam non superstruat? Extiterunt etiam frequentes, quemadmodum Vir Doctus observavit, ‘ qui licet ‘ in Artium Recessibus muscas solummodò ‘ captent, ac in Disciplinarum Arenâ conchas ‘ colligant, Triumphum tamen agere cupiant, ‘ non secus ac si totam Encyclopædiam ex‘ pugnassent. Hi sunt qui adeò sibi placent, sèque mirantur, si vel unius aut alterius Scientiæ tenui rore levitèr aspersi fuerint: atqui si quando Libros edant, in utrâque Paginâ de seipsis identidem mentiuntur, de excellenti suâ ac profundâ scientiâ magnificè se efferunt. Quàm insanus fuit Hobbii Fastus, qui non

non dubitaverit hiſce verbis gloriari? ‘ * Phyſica res novitia eſt, ‘ ſed Philoſophia civilis multò ‘ adhuc magis, ut quæ antiquior non ſit Libro ‘ quem de Cive ipſe ſcripſi. Vanitatem Scientiarum quàm inſigni vanæ Gloriolæ Aucupio expoſuit Cornelius Agrippa, cum in Literas ipſas tanto contemptu declamitans, videri voluerit egregiè Literatus? Quid autem dicam de ſingulari Ambitione Marci Antonii Coccii Sabellici, qui de Sepulchro vivens & incolumis caverit ſibi, & compoſitum ab * ſe carmen hoc Lapidi inſcripſerit?

* *Conring. de Civili Prudentiâ. cap. 14.*

* *Paul. Jov. in Elogiis.*

Quem non res hominum, non omnis caperat Ætas
Scribentem, capit hæc Coccion Urna brevis.

Inſigne quidem Elogium, ſed certè honeſtius, ſi alieni Ingenii Pietas inſcripſiſſet. Omnes hujus Generis recenſere eſſet infinitum; his unicum ſolummodò addam, Joannem Baptiſtam Helmontium, qui ſeſe per ignem Philoſophum nuncupare inſolenti Titulo voluit, cúmq; nova quædam & nunquam audita commentus ſit, omnibus aliis Medicis Convitium dicere, ſe verò unicum verum Medicum à Deo * ipſo conditum, atq; adeò illum quem Siracides honorandum dixit, pronunciare auſus eſt.

* *Sebaſt. Sheff. in Introduct. ad Medic. p. 47.*

Ex

Ex hac quam dixi Arrogantiâ atq; Ambitione, quæ complurium Doctorum animos tam miserè versant, oriuntur etiam intemperatum altercandi Studium, inquieta contendendi Libido, invidúmq; calumniandi, maledicendiq; Cacoethes: adeo ut nisi ex illorum Arbitrio omnia agantur, aut nisi planè idem cum illis sentiamus, aut nisi quis in dissentientes ab eorum Opinionibus strenuè debacchari, ac insigniter clamare velit, totâ statim excandescant bile, eáq; alicui quæ ne somniavit quidem improperare, aut in pede Muscæ struem calumniæ ædificare, summo voluptatis loco ducant. Familiarius nihil est quam audire Doctissimos Homines Convitia omne genus in se invicem jacientes crimina turpissima sibi mutuò opprobrantes, se mutuò ubi opinionum Dissentio est, Opinatores, Cavillatores, Cupiditatum Mancipia vocantes. Nihil omnino approbabunt, nullas dotes naturales acquisitásve, in iis agnoscent, quos diversa à se sentientes, suísque cupiditatibus aut Commodis repererint contrarios. Hoc satis est ut illicò pro temerariis, superbis, perfidis, Sensûs communis expertibus, sine Honore & Religione traducantur. Sæpius in Adversarios suos truci Amarulentiâ acerbè & contumelioſè invehuntur litigantes Eruditi. Eos ut denigrent, in maledicendo profusissimi sunt, in calumniando

niando diligentiſſimi: omnes rumuſculos aucupantur, omnia quæ de iis malè nunciata ſunt avidiſſimè conquirunt, iniquiſſimè exaggerant; Scripta, Dicta, Facta eorum invidioſè perſtringunt, Calumniaſque ſuas Literarum Monumentis tradunt, quibus irreparabili injuriâ Fratres afficiunt, & æternis Scandalis Eccleſiam replent. Libri extant innumeri hac illiberali referti rabie, quâ Scriptores ſatis acuti ſe mutuo lacerant. Non eſt animus omnia quæ præſto ſunt doctæ iſtius Maledicentiæ Exempla in medium proferre; nec enim parvi Voluminis, aut paucarum Paginarum res eſſet: Specimen duntaxat ejus dabo in uno & altero Viro Doctiſſimo. Titulo illo non indigni ſane fuerunt Claudius Salmaſius, & Joannes Miltonus. At utinam ſummam ſuam Eruditionem turpi hac maledicendi calumniandique Labe, uterque minùs inquinaſſet. De iis breviter recenſebo, Primùm qualis Vir fuerit Salmaſius; Deinde quomodo eum tractârit elegans pariter & virulentus Miltonus; Poſtremò quàm iniquâ Mordacitate aliquoties ſcripſerit Clariſſimus ipſe Salmaſius.

Viri Eruditi fateri coacti ſunt fuiſſe Salmaſium Doctiſſimum Theologum, Juriſconſultum ſolertiſſimum, Medicum exquiſitum, nobilem Philoſophum, admirabilem Philologum.

gum. Linguarum notitiæ adeò avidus erat, ut Arabicam, Ægyptiacam, Persicam, Chinicam, & Indicam cæteris Europeis quas antea callebat, adjungere non dubitaverit. Vossius eum appellat Virum nunquam satis laudatum, ingens Literarum Columen, & incomparabile Ornamentum. Causabono audit Juvenis ad Miraculum doctus, Grotio Vir infinitæ Lectionis. Cardinalis Richelius, acerrimus ille Ingeniorum Æstimator, tres tantùm, dum viveret, Sæculi sui Eruditione summâ excellentes Viros magni facere solitus est, Salmasium, Grotium, & Bignonium: Ac re verâ quantum Salmasio tribuerit, satis ostendit, cum omni ope atque operâ conatus est, eum Galliæ suæ asserere, oblatis Regiâ Autoritate lautissimis conditionibus. A Venetis multis Aureorum millibus promissis invitatus est Salmasius, ut ter tantùm in Anno publicè prælegeret. Britannia eum rogavit, ut Academiæ suæ Oxonienſi ornamento esse dignaretur. Pontifex ipse Romanus Amicitiam ejus ambiit, missâ per Episcopum Aurelianensem humanâ Salutatione. In Bataviam tandem vocatus est, & solus dignus habitus, qui magni Scaligeri locum tanto post tempore iterum impleret. Multum quoque & familiariter eo usa est Serenissima Bohemiæ Regina: & de gravissimis sæpe Difficultatibus

cum

cum eo contulit. Quin & Celsissimi & Præpotentes Heroes, Fridericus Henricus, & Gulielmus II. Gloriosæ Memoriæ Arausionenſium Principes, ſæpius eum in conſilium adhibuere, ſuper Rebus Politicis ac Militaribus. Denique Potentiſſima atque Eruditionis omnis Studioſiſſima Princeps Chriſtina, Succorum, Gothorum, & Vandalorum Regina, amiciſſimis eum Literis ad Aulam ſuam invitavit, venientemq; ad ſe omni cum Humanitate excepit, *Honoreque ſummo. Quid plura? Reges Regumque Filii, Eruditi atq; Eruditorum Summates, Viri omnis Ordinis, Religionis, Gentis, ac Nationis pene omnis, Galli, Itali, Britanni, Germani, Sueci, Batavi, quaſi uno concentu divinas Salmaſii Dotes, & ſtupendam Eruditionem in Cœlum extulerunt.

* *Vide Antonium Clementem de Vita Salmaſii.*

Hunc verò tantum talémque Virum, tot Illuſtrium Hominum Judicio Literarum Principem, Doctus Elegánſque Miltonus, in ſuâ pro Populo Anglicano Defenſione, Mordaci Linguâ, inceſto Ore, canina Facundiâ, omnibuſque Verborum Contumeliis inſectatus eſt. Eum appellavit Sophiſtam inaniſſimum, p. 4. Venalem Oratorem, p. 8. Furciferum, p. 10. Profeſſorem triobolarem, p. 16. Hominem ignaviſſimum, p. 19. Stultiſſimum Caput, p. 20. Vernam,

Vernam, Maſtigiam, p. 32. Fœdiſſimè Barbarum, nec Moribus ſolùm, ſed Syntaxi etiam omnium Grammaticorum Opprobrium. Omnium Literatorum Lituram & Maculam, p. 34. Suſpendio dignum, p. 169. Mancipium Equeſtre, ibid. Patibularem Equitem, p. 171. Patriæ ſuæ æternum Opprobrium, p. 182. Blateronum omnium verboſiſſimum, p. 183. Afinum, p. 203. teterrimam Beſtiam, p. 209. Hominem contemptiſſimum, p. 215. Summæ impudentiæ homuncionem, p. 227. Hypocritam & Atheum, p. 228. Balaamum, p. 235. Hominem Iſcariotæ Judæ ſimilem, p. 273. Apoſtatam & Diabolum, ibid. cum multis aliis id genus Improperiis. Nec mirandum, quòd tam impuro Ore, tamque petulanti Linguâ, & maledico Dente Salmaſium carpſerit, ſiquidem eodem famoſo Libello in Sacram & Auguſtiſſimam pii Regis Caroli primi Majeſtatem fœdiſſimè delinquerit, ſanctiſq; ejus Manibus procaciſſimè inſultârit, Caroli cum Nerone Comparationem inſtituens, imò eum Nerone ipſo Neroniorem inſimulans, p. 170. 257.

Quin & magnum illum Salmaſium, Virum alioquin ad Literas ſummo honore tractandas, & illuſtrandas natum, à turpi hac maledicendi Vitio penitùs abſolvere non poſſum, qui laceſſitus rarò modum tenuerit. Dignior tamen eſt qui excuſetur, quòd hoc ipſum mole-

moleſtiſſimum ſibi accidere ingenuè Amicis privatim confeſſus ſit; & publicè etiam in Præfatione, ad Epictetum & Simplicium: tum re quoque atque opere idem teſtatus ſit, cum paulò ante obitum ſolicitè admodum Uxori injungeret, ut quæcunque adverſus Viros Clariſſimos, & Amicos, acerbiùs conſcripſerat, quamvis tuendæ Veritatis cauſâ, omnia & ſingula dudum Prælo parata, in quadam Arcâ ſepoſita, Flammis mandaret: ne, ſi fortè in publicum erumperent Magnorum Virorum Famam læderent.

Proboſam hanc Acerbitatem ac Maledicentiam paſſim videre eſt in Controverſiarum Libris, quibus Docti hoſtiliter ſibi invicem adverſantes Contentionis Serram inter ſe reciprocant. Quodq; maximè dolendum eſt, Eruditi etiam ac Reverendi Theologi de graviſſimis Quæſtionibus, ad Fidem & Religionem pertinentibus, de Incomprehenſo Deo, de Sacroſanctâ Trinitate, de Incarnatione ac Satisfactione Chriſti, de ordine Decretorum Dei, de Modo Operationis Divinæ in Voluntatem humanam, aliiſque Myſteriis profundiſſimis, inter ſe digladiantes, venenatis Convitiorum telis ſe invicem nonnunquam pungunt. Neminem vel mediocriter in Hiſtoriâ Eccleſiaſticâ verſatum fugere poteſt, quantæ olim ſimultates interceſſerint inter Hieronymum & Ruffinum;

inter Joannem Antiochenum & Cyrillum Alexandrinum; Cyrillum inter & Theodoretum, alioſque Doctos & Sanctos Patres, qui fervidè ſæpius, atque aliquando contumelioſè inter ſe diſceptaverunt. At verò cum in ſæculis proximè elapſis, tum in hiſce noſtris Temporibus, Eruditorum Theologiæ Profeſſorum Altercationes longè acerbiores (heu! quantâ clade Rei Chriſtianæ?) fraternam pene extinxerunt Charitatem, atque Pacem Eccleſiæ graviter interturbârunt.

Supereſt modò ut dicamus de Literatorum, etiam in Orbe Chriſtiano, tetrâ Obſcœnitate, ac impurâ Libidine; de Poetis præſertim recentioribus fœdiſſimè ingenioſis, qui omni Turpitudini Muſas proſtituerunt. Verùm de noxis adeò infandis, quarum ipſa Recordatio gravis ſit modeſtis Lectoribus mallem equidem omnino tacere.

Tædet me profectò Argumenti hujus invidioſi, nec mihi volupe eſt Doctorum Manes Solicitare, licet de Deo & Eccleſiâ peſſimè meriti ſint. Iſta verò quæ dixi Eruditorum Vitia, in Libros ſuos plerumque conjecta, & Poſteros corrumpentia, eò atrociora ſunt, quò per futura Sæcula latiùs longiúſque ſerpit contagionis Labes. Quamvis enim Peccata quæ in Confabulationibus admittant Homines, aliquali Excuſatione digna videantur: ſiquidem

in

in ipſorum gratiam dici poteſt, parum Attentionis ut plurimùm afferri iis, quæ in Colloquiis iſtis familiaribus, ultrò citróque dicuntur: omni tamen Excuſatione carent gravia iſta, contra Pietatem & bonos Mores, Peccata, quæ in Libris ſuis, poſtquam ſeriò ſunt meditati, Scriptores perpetrant, atque ad omnes Poſteros tradunt. Impii in lucem editi Libri Author bene doctus Eruditione ſuâ ad perniciem Humani Generis peſſimè abutitur; dúmque talibus Scriptis nomen Immortalitati commendare ſatagit, æternam Ignominiæ ſubit labem.

Poſt omnes Indices expurgatorios, Scripta ejuſmodi minimè probánda paſſim extant oppidò numeroſa. Adeò ut Synodum unquam Generalem ſi Principes indicerent Chriſtiani, aut juſtum aliquod Tribunal erigerent, ad exeutiendos, damnandos, comburendóſque Doctorum Libros, qui vel Dogmatibus, vel Præceptis, vel Exemplis ſuis, Errores nefarios, tetram impietatem, aut pravos Mores doceant, multæ ingentes Bibliothecæ in exiguum anguſtúmq; concluderentur. Unde verò tantæ Doctorum Labes, támque ſcelerata apud eos Literarum Monumenta, niſi ex Religionis contemptu, atque ſanctarum neglectu Precum: quibus ſi aſſiduè Deum venerarentur, à fœdis iſtis Vitiorum Sordibus puri integríque conſer-

vati fuiſſent; animúmque innocentiorem ad Scribendum appellentes, nunquam tam flagitioſo Calamo chartam inceſtâſſent.

Utinam igitur Studioſi omnes in hoc totis Induſtriæ viribus incumberent, non ut in Literis duntaxat proficiant, marcidáſque conſequantur Diſciplinarum Laureolas, ſed ut Pietatem ac Virtutem, quas ſolas manet glorioſa Immortalitas, cum Doctrinâ conjungant. Virtus forſan aliquâ ſui Splendoris parte deſtituta videatur, niſi ſit ſtipata bonarum Artium Præſidio, lautóq; Literarum Comitatu. At verò Doctrina tanquam Gladius eſt in manu Furioſi, niſi, quæ Dux & Moderatrix Vitæ eſſe debet, ſana, recta, pia Mens modum ei ſtatuat. Ex Ariſtotelis Sententiâ perniciosiſſimum Animantium eſt improbus homo, eò quòd Rationis & Ingenii armis ſit inſtructus, quibus facilè abutitur ad potiundum eis, quæ ſceleratè concupiſcit. Pari veritate dici poteſt, Improborum eſſe perniciosiſſimum, qui doctiſſimè Improbus, non modò communem Rationem, ſed ſingularem ſuam Eruditionem ad res nefarias accommodat.

CAP.

CAP. IV.

De piis tam Studioſorum quàm Aliorum, cum ſoli ſunt, Officiis, ac primò de Sacrarum Literarum Lectione.

QUantum conferat Solitudo, cùm ad Eruditionem, tùm ad Pietatem; Quàm arctè teneantur Literati, ad Receſſum ſuum non Muſis ſolùm & humanis Literis, ſed Deo optimo, maximo, ejúſque Cultui conſecrandum. Denique quàm atroces frequentéſque fuerint Eruditorum Labes & Noxæ, quæ ſummi Numinis ac ſanctæ Religionis vel Contemptui, vel neglectui funeſta ſua Natalitia debuerint, ſuperioribus Capitibus enarrare aggreſſi ſumus. Jam procedemus ad particularia illa Pietatis Officia, quæ Solitudinis omnis optima ſunt Munimenta, Exercitia digniſſima, Occupationes utiliſſimæ, quæque in Receſſu ſuo Literario ſine gravi tam Dei præpotentis, quàm Animæ propriæ Injuriâ miſſa facere nemo poteſt.

Ex illis unum eſt Sacrarum Literarum Lectio, cui, ſi quos alios, Studioſos certè maximè omnium ſe addicere oportet. Quàm iniquum eſt enim Literas humanas in complexu, in oculis, in auribus habere, divinis autem

nullum tribuere locum? Quantæ eſt Stultitiæ, in Muſæis ac Bibliothecis ſe abdere, Libros omne genus retinere manibus, unicum verò cum parvâ aut nullâ obſervantiâ prætermittere Librum, omnium, qui poſt Literas natas unquam editi ſunt, ſacratiſſimum, perfectiſſimum, atq; omnibus numeris abſolutiſſimum? ad cujus utique conſpectum nihil æquius videtur, quàm ut alii ſe Codices, quotquot ſint in Orbe Terrarum univerſi, penitùs & omninò ſubmittant; ſicut olim coram Joſephi Faſce reliqui Patriarcharum manipuli ſe incurvabant adorabundi.

Quatuor aut quinque res ſunt ex quibus pendet Exiſtimatio Libri, Author, Antiquitas, Materia, Stylus, atque Finis aut Scopus. Sanctam verò Scripturam ob hæc omnia, commendatiſſimam habemus, digniſſimámq; quæ ſummâ cum veneratione, ſtudióq; ardentiſſimo per totum vitæ curriculum aſſiduè lectitetur. Author ſacrarum Literarum, nec Homo, nec Angelus eſt, ſed Angelorum & Hominum, & rerum omnium Conditor, Deus Optimus Maximus; quem multis vicibus, multiſque modis per Prophetas olim Patribus locutum eſſe; tandem verò poſtremis Temporibus, per unigenitum Filium ſuum nobis ultimam ſuam voluntatem pleniſſimè patefeciſſe, tot tantiſq; Argumentis, Signis, Prodigiis, Virtutibus, Spiritûs

ritûs ſancti Diſtributionibus, claris Prædictionum Eventibus, aliiſq; mirandis effectis comprobatum eſt, ut ad fidem ei rei faciendam, certiora, ſolidiora, & perfectiora illa dari nequeant. Quin & illam Divinæ Voluntatis Declarationem, veteris Novique Teſtamenti Libris verè comprehenſam eſſe; atque in illis omnibus conſcribendis Amanuenſes peculiari impulſu fuiſſe concitatos, & ſingulari donatos Spiritûs Sancti auxilio, quò nihil illinerent Chartis, niſi quod Deus illis patefecerat; poſt ipſorum Hominum adeò divinitùs afflatorum hiſce rebus perhibitum, tótq; Miraculis firmatum Teſtimonium; atque poſt conſtantem & perpetuam ſuper iiſdem Eccleſiæ Traditionem, eámque graviſſimis ſuorum Periculis, imò & frequentibus Martyriis propugnatam, nullâ juſtâ de cauſâ dubitari poteſt. Quanti igitur Hominum interèſt, ſive Doctorum ſive Indoctorum, Oracula illa ſedulò conſulere, in quibus manifeſta ſigna ſunt loquentis Dei? Qui tam inexhauſtâ legendi aviditate, Homerum, Virgilium, Demoſthenem, Ciceronem, Plutarchum, Livium, Salluſtium, Platonem, Ariſtotelem, Carteſium, & multos alios Scriptores pervolvas; quo paſto animum inducere poteſt, ut ſitterni Patris Diſciplinam negligas, & Inſtitutionem Filii ejus Jeſu Chriſti?

Præterea, ſi ab Antiquitate quidpiam ſit laudabile; aut ſi ulla Voluptas ſit in Revolutione Monumentorum ab Authoribus ſummæ Vetuſtatis editorum, quid laudabilius, quid jucundius quàm Libros illos perſcrutari, qui res ipſo Cœlo vetuſtiores, & Sapientiam Antiqui Dierum explicent? Ex omnium Sæculorum Memoriâ nullum deduci poteſt vel Religionis, vel Eruditionis Monumentum, quod Temporibus Moſis non ſit inferius. Nec Romani ſolùm, ſed Græci novi ſunt, ſi cum illo comparentur; imò vix de nomine erant noti quando ſcriptus eſt Pentateuchus. Homerus & Heſiodus, Græcorum Poetarum qui extant antiquiſſimi, non Moſe ſolùm, ſed Davide & Solomone ſunt poſteriores.

Jam verò ſi Hiſtoriæ Legéſque Atticæ, Romanæ, aliæque Vetuſtatis nomine venerabiles tantam Sapientiæ Filiis jucunditatem afferant; ſi fugientes veterum Statuarum Characteres, tam avidis Oculis perſequamur; ſi Templi, Palatii, vel Urbis antiquæ Reliquias, Admiratione quâdam tacti contemplemur; neceſſe eſt, ut ridiculè ſtolidi & profani ſimus; ſi vetuſtiſſima pariter & ſanctiſſima Moſis Scripta, Legéſque Hebræorum antiquiſſimas oſcitanter prætereamus, quaſi Studia noſtra nullâ Voluptate compenſarent.

Nec

Nec Vetuſtate ſolùm ſed Materiæ ſuæ Præſtantiâ, inter alias omnes eminet Scriptura ſacra. Brevibus enim Librorum Voluminibus inexhauſtos omnigenæ Scientiæ, ac Sapientiæ Theſauros continet, quos Philoſophorum omnium captum ſuperantes ipſi Angeli cum Admiratione ſuſpiciunt. Sacra hæc ſunt Myſteriorum divinorum Scrinia, Artiúmque humanarum atque Diſciplinarum Receptacula, Pietatis pariter & Doctrinæ Gazophylacia. Hic quid ſit rerum omnium Principium, quis & qualis ſit verus Deus, quænam ejus tam de nobis, quàm erga nos Voluntas, quidve à nobis fieri jubeat certò diſertéque explicatur. Hic quid ſit Mundus, quid Homines, quod eorum Initium, quis vitæ finis & uſus, quæ veri boni cùm inveniendi, tùm conſequendi Ratio apertè docetur. Eſt hic veriſſima Hiſtoria de ipſis Naturæ incunabulis, de rebus geſtis ab Orbe condito, de Gentium omnium & Populorum Ortu, de Origine Civilis Societatis, ac Regiminis; de Initio Horticulturæ, Agriculturæ, Pecuariæ, Architecturæ, aliarúmque Artium ruſticanarum & mechanicarum; de antiquiſſimis Ritibus convivalibus, nuptialibus, ſepulcralibus aliiſque non paucis; de Origine Literarum, Librorum atque Artium Liberalium. Quin, ut altiora recolam, Numinis hic præpotentis ipſa expromuntur Magnalia;

Magnalia; ſpectarique poſſunt Regis ſummi de Salute, Humani Generis per Jeſum Chriſtum, deque immortali Hæreditate, quæ bonis omnibus in Cœlo reponitur, fixa, rata, atque inviolanda Diplomata. Hic Ethica traditur præſtantiſſima, Vitaque ac Morum Norma infallibilis: hic Philoſophia ſumma, ad quam Mentis aciem intendentes, diſcamus in Terris quorum Scientia nobis perſeverabit in Cœlo.

Cumque Myſteria tam alta, Præcepta tam ſancta fruſtra alibi quærantur, quàm turpis eſt eorum Hallucinatio, qui auream Cœleſtis Doctrinæ Venam, aut coruſcantem Divinæ Veritatis Gemmam citiùs inveniri poſſe putent, in Ethnicorum Sterquiliniis, quàm in Sacrarum Literarum Fodinis prætioſiſſimis? Ecquid ſcelestius quàm Gentilium Scriptorum amore inſanire, & Evangelia Sancta, Voce Filii Dei tradita, pro nihilo ducere? Ecquid magis inſulſum quàm obſcœnorum Poetarum luto volutare porcorúmq; ſiliquis ſe paſcere: panem verò Angelorum, & Mannam cœleſtem Eloquiorum Dei faſtidire? Licere fateor omnibus, multíſque admodum utile fore, humanis Diſciplinis operam dare, profanóſque Authores in manibus habere, ſi modò id cautè & ſobriè fiat. Verum ſi ad hoc venerit ſæcularis Sapientia, ut Scripturas ſacras excludat,

excludat, Dæmonum cibus eſt, inquit Hieronymus.

Quinimò licet Pagina ſacra Religionem ac Pietatem apprimè doceat, neſcio tamen an ulla pars ſit melioris Literaturæ, quæ non inibi paſſim occurrat. Ab hac ortum ſuum duxerunt ipſæ Literæ, Grammatica, & Scribendi Ars. Illas à Phœnicibus Græci acceperunt, à Judæis Phœnices, à Moſe Judæi, Moſes à Deo, qui Legem ſuam lapideis Tabulis conſcribendo Scribendi dedit Exemplar. Antiquiſſimam hic traditam fuiſſe Hiſtoriam jam dixi: Reperitur quoque ibidem Poeſis vetuſtiſſima præſtantiſſimáque. Teſtor Pſalmos & Cantica, non ſolùm Davidis & Solomonis, ſed etiam Moſis, Deboræ, Hannæ, Hezechiæ & Aliorum. Phyſicam & Mathematicam habemus in Geneſi & Libro Jobi. Logicam, Metaphyſicam, Ethicam, Oeconomicam, & Politicam, nobis ſuppeditant Libri omnes, tam Veteris quàm Novi Teſtamenti. Cumque Libri illi omnes in Linguas verſi fuerint, Biblia qui legit Polyglotta, aut in ullas Linguas, quas addiſcere cupit, traducta, unâ eademque operâ, cùm in Linguarum variarum, tùm in Rerum præſtantiſſimarum cognitione proficiet. Ex ipſis puriſſimis Fontibus, Græcis & Hebraicis, Pietas pariter & Eruditio hauriri poteſt. Siquis autem Romano

mano Idiomate delectatur elegantem legat Caſtalionis Verſionem, qui deterſâ omni Barbarie, quâ pleræque Tranſlationes ſcatebant, in Bibliorum Interpretatione, Romani Sermonis Proprietatem accuratè ſectatus eſt, omneſq; opes, * inquit Laurentius Humfredus, Latinæ Linguæ ad Dei Verbum omni inſtrumento oratorio exornandum deprompſit.

* *Laurentius Humfredus, De Ratione convertendi Authores, Lib. 1.*

Ut verò ad Inſtitutum noſtrum redeamus; Scripturæ ſanctæ præcellenti Materiæ accedat etiam Styli inimitabilis, & divina planè Majeſtas, mirâ Simplicitate, nec minori in rebus ad ſalutem ſpectantibus perſpicuitate temperata. Quid ſit nobis de Numine credendum, & quid ſit Officium noſtrum tam erga Deum, quàm homines aptè, copioſè vivíſque coloribus depingit. Authoritate ſummâ tam Reges quàm Plebeios alloquitur: quia Homines quantumcunq; Dignitate inæquales, ad Deum tamen collati pares ſunt. Omnibus Hominum Generibus Ordinibúſque in Paginâ ſacrâ (per Prophetas in primis) tanto cum Pondere ac Sermonis Vi Mentem ſuam repræſentat Deus, ut non fortiùs in cœlo tonet. Si cæteros omittam longè ſupra Græcæ vim Facundiæ Magnus aſſurgit Eſaias; Súntque non pauci Davidis Hymni Gravitate & Majeſtate

ſtate Pindari ſublimiores. Jactet Thracia ſuum Orphea; quem feras, ſaxa, robora Fidibus Carminibúſque moviſſe fabulatur. Atqui divinus hic Vates reverâ Furias movit, diraſq; ſæpius de Sauli Pectore Megæras expulit. Neque enim vel Rhetoricæ vel Poeſi inimica eſt Religio, nec tam jejuna, tenuis, & tetrica Res eſt Pietas, ut nullos generoſos Spiritus aut parturiat aut ferat. Quin ſancti Homines Numinis pleni, mirabilia edentes Vaticinia, aut ſtupenda Dei facinora memorantes, Stylo ſæpius uſi ſunt eloquentiſſimo, magnóque aliquoties Ingenii impetu ad Muſicos numeros exiluerunt. Humilis quidem & demiſſus ſermo, quo tres Evangeliſtæ Hiſtoriam recitant, multis fuit Superbis Faſtidio; ſublimis tamen eſt illa ipſa Simplicitas, quâ ſine verborum fuco, ſupra humanum Captum de cœleſtibus Myſteriis diſſerunt. Sanctus autem Joannes ad altiſſima volitans quodam Styli Fulmine grandiùs intonat. Eadémq; D. Petri, & Pauli Ratio eſt, in quorum Scriptis, quos non cogit in Fidem & Obſequium Argumenti vis, eorum Pervicaciam ipſa Sermonis Majeſtas validius proſternit.

Nonnullis fateor juſtum Syſtema, & Methodum Artis in Literis ſacris deeſſe videri. At nimiam redolet Audaciam Deum ad Methodum aſtringere, quam humana excogitavit Indu-

Induſtria. Tametſi ordine naturali Homogenea ſimul tractari ſoleant; à communi iſtâ Regulâ declinavit Deus, ut Veritatem, quæ intimè Salutem reſpicit, paſſim per totum volumen diſſeminaret.

Magnus enim ſanctæ Scripturæ Finis & Scopus eſt æterna Hominum Salus, & ad eum Finem conſequendum Efficaciam ſummam habet. Ad animos noſtros afficiendos, longè plus valet quàm ulla humana Scripta: ſiquidem Spiritus vis arcana aculeis ſuis Legentium atque Audientium corda fodicat. Vis planè ineluctabilis, ad quam idoneis verbis explicandam omnis Oratio languet, jejunuſq; ſermo infra Rei Magnitudinem ſubſidit. Legantur Græci vel Romani, Poetæ, Oratores, Philoſophi; mirum in modum, fateor, Te allicient, oblectabunt, movebunt. Afficiunt verò tantiſper dum leguntur. Ubi abſceſſeris, ſenſus iſtius Voluptatis obliteratur. At Scriptura ſacra, ſi fidelis ei atque attentus Auditor aut Lector contingat, altè ſedet, & infixa medullis ſemper eſt præſens, & divinum quiddam ſpirans Mentem illuſtrat, Animum exhilarat, Affectus regit, totum deniq; Hominem innovat.

'Quæ ſolida & ampla ſunt diu placent, 'inquit Quintilianus, quæ lepida & concinna 'paululùm quidem mulcent, ſed citò ſatiant.

Quid

Quid autem unquam vel ſolidius, vel amplius compoſitum fuit, quàm ſacroſancta illa Volumina, quæ præpotentem Deum, & Authorem habent, & Objectum, & Finem? Quid jucundius, quid ſublimius, quàm oculis ad magna Religionis Myſteria converſis, quæ in Divinis Paginis de ſtupendâ Rerum omnium Creatione, de Hominis Integritate primigeniâ, de ejus mox inſecuto miſerrimo Lapſu, ac admirabili per Dei Filium Inſtauratione; quæ denique de veræ Pietatis Præmiis immortalibus, & vitæ ſceleratæ Pœnis æternis renunciantur, ſtudioſe pervolutare, atque imis præcordiis fixa tenere? En hic Paradiſus, in quo ſuccreſcit non ſolùm Arbor Scientiæ, ſed & Vitæ; ubi ſunt pulcherrimæ dulciſſimæque omnigenûm Florum Fructuúmque Areolæ; ubi vera Ambroſia, Angelicum Pabulum, & immortalis Animarum cibus; ubi Nectaris non ficti Fontes puriſſimi, ac Fluenta perennia Gratiæ immarceſſibilis ſalientia ad æternam Beatitudinem. Quibuſcunque animis vel minima particula ineſt Divinæ Mentis, illis ſine dubio, & magnum Vitæ Negotium erit, & Voluptas magna per hos amœnos atq; ſuaveolentes Sancti Spiritûs Hortos ſpatiari, & hauſtis cœleſtibus Mellis Ætherei Donis, corda ſua reficere & replere.

Sunt

Sunt Libri non pauci, in quibus nihil eſt, quod ſemel viſum reviſere, ſemel guſtatum reguſtare, ſemel lectum relegere cupias, ſed abjiciuntur continuò, & vel à tineis & blattis eroduntur, vel in volvendis mercibus adhibentur, & Thuris Toga fiunt, & Scombrorum Penula. Sacras autem Scripturas etiamſi Sexcenties reviſas, virentes & ſucci plenas, & Rore cœleſti tumidas invenies: imò ubi Meditatione pleniori & penitiori ipſum te divini ſenſus decerpſiſſe florem putaveris, denuò meditanti novus renaſcitur.

Quocirca omnes homines ac in primis Literati, & Librorum Helluones magnoperè ſunt rogandi monendique, ut in Receſſu ſuo Literario Volumen hoc Sacrum aſſiduè legant; cui evolvendo ſi etiam ab Incunabulis uſq; ad decrepitam Senectutem deſudaretur, invenirem us ſemper quo proficere poſſemus. Hoc Pabulum eſt æſurientis Animæ, optimáq; ægrotæ Mentis Medicina. Quin apud ipſos Angelos, ſi vel Medicinæ uſus eſſet, vel Alimenti, nullo alio pharmaco, nullis aliis ferculis uterentur. Hinc Regius Vates Verbum Dei & Gaudium ſuum, & Solatium fecit, & Socium, & Conſiliarium, & Magiſtrum, & Ducem, & Theſaurum, & Lucernam, & languentis Cibum, & dormientis Pulvinar, & ambulantis Exercitium matutinum, veſpertinum, quotidianum.

Diverſa

Diversa quidem diversi in sacrâ Paginâ legendâ sectantur. Alii nil nisi Criticas Observatiunculas captantes, doctiores fiunt, non sanctiores. Alii recondita omnia scrutantur Mysteria, de Præceptis Monitisque perspicuis parùm soliciti, & hi Abysso se immergunt. Genuini autem Sapientiæ Discipuli Cordi suo his fontibus repurgando, vitæque suæ toti ad Doctrinæ hujus cœlestis normam componendæ sedulò incumbunt, ut per Justitiæ Semitas ad veram Fœlicitatem perducantur. 'In sacris Literis, inquit 'Thomas Kempisius, Veritas 'non Eloquentia quærenda est; debéntque 'eodem quo dictatæ sunt Spiritu legi. Proinde ut uberiori cum fructu in iis versemur, accedamus simplici purâq; mente, à mundanis Cupiditatibus vacuâ; legamúsque sobriè summâque cum Veneratione, non velut Hominum Sermones, sed velut Oracula Dei. Ac ubi Divini Sensus Intellectum non consequimur, adoremus Mysterium. Sacro autem Codici subjungere fas sit doctos Commentarios, aliáq; Piorum Hominum Scripta, quæ si Mente Sapientiæ ac Virtuti devotâ, quatenus Otium fuerit, evolvantur, magnam nobis parient utilitatem.

De Christo imitando. Lib. 1. cap. 5.

Præterea diligentem Lectionem comitentur tria alia Religiosæ Solitudinis Officia, nempe

Meditatio pia, Conſcientiæ Examen & Oratio ad Deum.

Sine Meditatione quæ lecta fuerint neque Memoriæ infixa cuſtodientur, neque præſto erunt in uſum Vitæ.

Sine Conſcientiæ Examine neſciemus, an Actiones noſtræ ad ſanctæ Scripturæ Normam dirigantur.

Sine indefeſſis fervidiſque precibus, omninò fruſtra erimus, aquamque cribro hauriemus, licet non ſolùm his Libris, ſed & omni inſuper Linguarum, & Interpretum, Commentariorumque Subſidio ſimus inſtructiſſimi. De his autem tribus, in Capitibus ſequentibus.

CAP.

CAP. V.

De Meditatione piâ.

CHriſtiani Hominis in Receſſu ſuo Officium alterum eſt pia Meditatio. Hoc Paginæ ſacræ Lectioni accedere debet, ut quæ legendo volutata fuerint Animo & Cogitatione expendantur accuratiùs, atq; imis Præcordiis fixa inhæreant ad Vitam totam dirigendam. Parvum enim aut nullum conſecuturi ſunt Fructum, qui per ſanctos Libros volitant, raptim multa delibantes, nuſpiam inſiſtentes, nihil penſiculatè legentes. Sunt qui non edunt, ſed tuburcinantur; grandes bolos properanter vorant, nec in alimentum ſuum mandunt, ſed mox glutiunt: ita qui multum ingerit Legendo, nihil autem digerit Expendendo, leviter, inutiliter, & cum detrimento legit.

Oracula Sacra non legenda ſolùm ſunt, ſed in Penetralibus Animi recondenda, atq; iterum iterúmque conſideranda, ut attentâ aſſiduâq; Cogitatione ruminanti ſimilis, quod eſt in iis Suavitatis exprimas, cibóque hoc cœleſti te alas, ad verum tuum in Sanctitate Profectum. Eâ de cauſâ veteri Lege Animantia quæ ruminant inter munda relata fuerunt, quia Ho-

minis Verba Dei quæ exceperat reputantis, & Cogitatione revolventis Similitudinem exhibent. Magis ſapiet, magis paſcet unius Verſiculi ſtudioſa Meditatio, quæ ruptâ ſiliquâ Medullam eruat, quàm plurima Capita, quæ feſtinanter ac deſultoriè percurſa fuerint, Sermo ille Divinus Semen quidem eſt omnis Sapientiæ, Sanctitatis, Virtutis, Felicitatis; at verò niſi piâ Meditatione cordis noſtri ſubacto mollitóque Solo inoccatus fuerit, neque radices in illud immittere neq; Fructus genuinos edere poterit.

Nulla verò res magis animos honeſta induit, dubióſque & in pravum inclinantes revocat ad rectum, quàm Dei optimi maximi, Verbíque ejus, atque omnium Rerum Divinarum intenta ſedula, devotáque Contemplatio. Hæc Intellectum purgat perficítque, Nebulas diſſipat, Opiniones falſas expellit, turbidos Affectus componit, Irarum Æſtus ſedat, indomitas Cupiditates frangit, ferocientes incultæ Naturæ Motus demulcet, fictam fucatámque Sanctimoniam ſeveris conficit ictibus; Faſtum, Ambitionem, Avaritiam altè ſecat; denique ad omnes Animi Morbos curandos, vitiáque omnia radicitùs evellenda non parùm confert. Hæc Mentem ſapido Veritatis Bonitatíſque Condimento, tanquam Sale perſpergens, intimum & vivum Religionis Senſum indies

indies gignit, fovet, atque auget. Quando Mens humana circa Deum, qui ſummum Bonum eſt, verſatur & velut cum ipſo unitur, fieri nequit, ut mens infinitæ Majeſtatis & Gloriæ Numen ſeriò conſiderans, prætervolet ipſum, & ulteriùs tendat majoris boni conquirendi gratiâ; quin omni Veneratione atque Amore in eo ſiſtat ſe neceſſe eſt, tanquam in Fine ac bono ſuo, ultra quod quia ſummum eſt, deſiderare neque velit quidquam, neque poſſit. Et certè quidem omnis veræ Pietatis ipſiſſima Baſis eſt ſancta hujuſmodi Contemplatio, quâ inacceſſæ Lucis Habitatorem quadantenus aſpiciamus, Inviſibilem illum videamus, atque puris, caſtis, conſtantérque admirabundis Cogitationibus, pro modulo noſtro nobiſmet ipſis Summum Deum repræſentemus, Sapientiâ, Potentiâ & Bonitate infinitum, magnum Opificem, atque Moderatorem Univerſi, à quo id totum, quod eſt, quódque habet, mutuatur & accipit, quicquid vel momenti unius obtinet Stabilitatem. Incomparabiles haſce Divinitatis Perfectiones, qui ſæpius mente agitat, totóque pectore (ut dicitur) cogitat, ridebit Mortalium nugas, ridebit ineptias, quas Opinio invexit & magnifecit. Hæc Numinis Idea præſtantiſſimarum veritatum Perſpicaciâ, cæteras mentis Conceptiones erudiet gubernabítque, non aliter

quàm prior Machinæ Rota cæteras volvit. De Majeſtate Divinâ Commentatio hujuſmodi, ſi menti altiùs inſideat, potentiſſimis Suaſionibus nos adducet, ad Univerſalem ſanctæ Obedientiæ Praxin, ad ſedulam Boni cujuſque à Deo præcepti Obſervationem, Malíque omnis prohibiti ſolicitam Declinationem, ne tanto Numini diſpliceamus.

At verò quorum Animis Senſus Dei Rerúmque Divinarum penitùs exolevit, ii ſervum Vitiis Pectus habent, ruunt per vetitum neſas, ac Religioni, Rationíque ipſi nuncium remittentes, nullam Vitæ Legem colunt, nullum certum Principatum in Facultatibus ſuis agnoſcunt, ſed ei Paſſioni obediunt, quæ Imperium ſibi forte fortunâ inter cæteras arripuerit; atque in illius Deſideriis implendis, fatalem iſtum quem ſibimet Interitum conſciſcunt non vident. Quæ pœnas apud Inferos æternas dant, quantuſcunque ſit earum Numerus, miſeris illis Animabus omnia ſua Supplicia, omnes ſuos Angores attulerunt ſupina Incuria, craſſa Incogitantia, ſtupidáque Dei omnipotentis Oblivio. Vix enim fieri poteſt, ut quis, quâ ad Lacum ſulphureum eatur, viam inſiſtat, ſi verſentur in Animo ejus de Deo, de Religione, de Rebus Æternis graves, ſeriæ, frequentéſque Cogitationes.

Sine

Sine Meditatione seria, fixaque mentis Attentione, nullæ quidem cujusvis generis Veritates retegi, nulla pars Philosophiæ intelligi, nullæ Scientiæ humanæ addisci possunt. Quod autem adeo necessarium est ad omnem Eruditionem, eo utique magis opus est ad profectus faciendos in Religione ac Pietate, in Arte sancte vivendi, quæ omnium Artium & Scientiarum est nobilissima. Errores pravi funestaq; humanæ Vitæ Crimina usquequaq; dimanant, aut à plano Neglectu piæ Meditationis, aut à gravi aliquo Attentionis Defectu. Unusquisque improbæ Mentis homo, vitæque male institutæ, vel animum omnino avocat ab iis rebus cogitandis, quæ illi Sapientiæ Virtutisque Lucem possint affundere, vel admodum perfunctorie in earum contemplatione versatur. Etenim nisi res ad Religionem spectantes attenta mentis Applicatione sæpius consideres, nec de iis incorrupte judicabis, nec ipsi recto Judicio, quod non satis exploratum sit morem geres: non semper fugiendum dignosces ab expetendis; nec etiam ubi quid sit optimum perspicias, illi amando colendoque gnaviter incumbes; nec ubi cognitum bonum amare, malum odisse conatus fis, in bene cœptis perseverabis. Seria vero Meditatio tollit mentis Cœcitatem, ne in rerum delectu hallucinemur, vincit Depravationem

tionem Voluntatis, ne contra Mentis Judicium dulcia pro salutaribus amemus, fulcítque Naturæ nostræ Infirmitatem, nec sinit ut Virtutem semel arreptam, vel Tædio, vel Tentatione victi deseramus.

Si cui in intimis suis Cogitationibus penitùs persuasum sit, Virtutem solam Rem optimam esse, pulcherrimam, honestissimam, utilissimam; contrà, Peccatum unicum esse malum, funestum, fœdum, erubescendum, damnosum; fieri non potest, ut eâ Meditatione altiùs impressâ, eâque constante Persuasione, diu in malis hæreat. Quicquid enim frequenti ac intentâ Meditatione, stabilique persuasione penitùs impressum est Animo, id quisque moribus exprimit. Qui sunt in Rerum Divinarum Contemplatione quotidie defixi, blandissimas illas Voluptates, quibus oppressa Lux mentis extinguitur, facilè repudiant, atq; à vanis Mundi curis, à Negotiorum pulvere quisquiliisq; abrepti remotiq; Beatarum Mentium Vitam quodammodo æmulantur. Hoc pacto sancta & magnifica sensa Animi parant, divinis veridicísque Consiliis eum ornant, & tantùm non onerant, ut in promptu sint, atque pro re natâ etiam obviam currant; ut fortia illa excellentiáque Decreta sine morâ maturéque in opus transeant.

Hinc

Hinc ſæpius profitetur Regius Vates, ſe Animo propenſiſſimo divinis tum Mandatis tum Operibus meditandis totum incumbere. Atque dum meditatus eſt incaluit Cor. Meditationis piæ vis quædam eſt, quæ terrenarum & carnalium Cogitationum cineres diſſlat, & Divini Spiritus ignem accendit. Attentâ Meditatione Spiritus Dei quodammodo conſulitur, eúmque conſulentibus Solutiones impartit divinas, & Reſponſa. Magiſtrum habemus nos intus docentem, inquit clariſſimus *Malebranchius, 'Lumen ſuum 'liberaliter diſpergit; quid igi- 'tur ceſſamus illum compellare 'ac interrogare? Sed quomodo à nobis ſe 'compellari gaudet? aſſiduâ ſcilicet Meditatione, & Attentione non interruptâ. Nobis 'verò internâ quadam Convictione, & tacitis, 'quibus in pertinaces & incredulos animad- 'tit, Objurgationibus, reſpondet. Hanc ille aſſerit eſſe Methodum optimam Veritatis in univerſum inquirendæ; eadémque ſine dubio recta via eſt ad efficacem & ſalutarem cognitionem Amorémque divinarum illarum Veritatum, quæ ad æternam noſtram Beatitudinem ſpectant.

*De inquirendâ Veritate, l. 1. c. 3.

Attentâ hac Mentis Exercitatione, non ſolùm in rebus naturalibus ſed etiam in ſpiritualibus, clarè percipiemus, quid verum ſit, quid

quid falsum; quid bonum, quid malum: unúmq; bonum esse altero longè præstantius, atque eligendum præ eo quod minùs præstat; minúsque malum tolerandum ne majus subeamus: bonum autem vel malum certò futurum, debere rationem habere præsentis: præsens igitur bonum omittendum esse ex probabili Expectatione boni futuri infinitis vicibus præstantioris, multóque magis si Expectatio illa sit certa: item contrà, præsens malum perferendum esse, ut evitemus malum infinitè gravius vel probabiliter futurum; idq; adhuc constantiùs faciendum esse cum certò sit futurum: præterea summum bonum affectu summo, media mediocri, minimáq; minimo prosequenda esse: denique infinitè melius esse Deo parere quàm Hominibus, aut propriis nostris cupiditatibus; præsentésq; nostros erga Deum mores, quales quales sint, in brevi hoc Probationis Statu, ad futuram Gaudii, vel * Penarum Æternitatem, viam sternere. Hæc horúmq; similia effata si nobiscum toto animo consideremus; atque in normam vitæ eà, quæ certâ & necessariâ sequelâ ex hisce Principiis deduci possunt, fideliter extrahamus, in nobis citò expergiscetur Conscientia recta, ac divinissima quædam Facultas, quæ à docto pióque Henrico Moro Boniformis dicitur,

* *Vid. Henrici Mori, S. T. P. Enchirid. Ethic.* l. 1. c. 4.

tur, quâ illud quod abſolutè Optimum eſt, ſummo cum Affectu & Voluptate ſapiemus, adeóque ſuſpiciemus, & adamabimus, ut vel ſexcentis Mortibus caput objicere maluerimus, quàm noſmetipſos ſinere tantâ dulcedine privari, aut tam amabilem Vitæ florem, diviníque Senſus Integritatem turpi quavis aut inhoneſtâ actione offendere, lædere, aut violare.

Etiamſi ſine magnâ vel frequenti Meditatione, nobis forſan inſideat ſuperficiaria quædam, & imaginaria rerum Optimarum Approbatio; non poſſumus tamen ſine illâ verè & vitaliter, ardentíque Affectu ac Voluptate animam noſtram cum ipſis conjungere, nec conjunctam eſſe certò judicare. Divina autem Contemplatio, ſi in eâ ſedulò verſemur, Deo juvante, efficiet, ut conſtanti & æquali amore, quæ Optima ſunt proſequamur, æqualíque ἀνλιπαθείᾳ à rebus turpibus & inhoneſtis abhorreamus, ſive iſta in nobiſmetipſis occurrunt ſive in aliis. Hæc inferiorem animæ partem in conſenſum rapiens cum ſuperiori, totum hominem verâ Intellectus luce diriget, atque igneis quaſi Affectuum quadrigis, Eliæ inſtar, uſque ad cœlum Deúmque ſubvehet.

In multis Hominibus licet quodammodò verum videant, rectéque judicent, Aſſenſus tamen mentis non ſunt efficaces, clari, penetrantes

trantes Cor, ſed adeò languidi, hebetes, ſqualentéſque, ut, quæ fortiſſima lucidiſſimaque rerum ſit, Veritas non dimanet, nec micet, radii ejus non intromittantur, aculei ejus non penetrent pectus. Sunt quædam Judicia vera, adeò tamen exanguia, & arida, ut Cor non foveant; adeò laſſa, flaccida, frigida, mortua, ut Pectus nullo modo calefaciant, nedum accendant. Cogitationes hujuſmodi paralyticæ ſine motu ſunt, nequeunt Affectus excitare, Vitæ actiones gubernare nequeunt *. 'Eadem Veritas, 'inquit Vir Doctus, à duobus 'cognita, Cor unius fodicat & mordet, alte'rius nec lambit: quia cum Languore & 'incommodo greſſu aut minimè opportuno 'ſubit Mentem. Pondus illius plerumque eſt, 'quo pacto cadat, ut quadret: nam aliquibus 'nec ipſo ſentitur Aſſenſu. Tam inefficacis autem Aſſenſûs Remedium optimum eſt ſedula & accurata Meditatio, quæ non ſolum Judicii falſi morbificos Errores tollit, ſed etiam Languorem & ſegnitiem Veri; nec Mentem duntaxat pulcherrimis ſenſis, ac egregiis Veritatibus exornat, ſed colligit nos in noſmet ipſos, ut in ipſis Viſceribus noſtris Veritatis Virtutiſque Pulcritudinem inſpiciamus, eámque ſummo ſtudio, totiſque viribus amplectamur.

* *Joan. Euſeb. Nierembergius.*

In

In Ipſo Animæ noſtræ Flore & Robore Meditatio atque Oratio, ſi rectè inſtituantur, conjungunt nos cum illo quod abſolutè optimum eſt: inextinguibili Siti & Affectu nos rapiunt ad tam gratum Objectum, illúdque obtinentes ineffabili Gaudio & Voluptate nos perfundunt. Sincera Religio veráque Pietas & Virtus, ſunt Vita quædam intima, in quam ſi fixis diuturníſque Cogitationibus fueris tranſformatus, tum demum internis ſenſibus illius dignitatem ac jucunditatem percipies; atque quotidianâ Exercitatione ad ejus Perfectionem aſpirabis. Conquirendæ ſunt igitur Rationes undique, quibus intima Perſuaſio de Pietatis virtutíſque Specie atque Præſtantiâ, & contrà de Vitiorum & Libidinum Turpitudine, aſſiduè augeſcat, & confirmetur; imò altiſſimè, & tanquam trabalibus clavis in animum defigatur, atque medullitùs nobis inhæreſcat. Cum autem communes de rebus hiſce Notiones, niſi aſſiduâ Meditatione ad ſingulas Actiones applicentur, minùs proculdubiò ſint efficaces; Monitum illud Florentii Voluſæni eſt præſtantiſſimum; * 'Quo-
'tieſcunque ſcilicet Libido, vel
'turpis Utilitas nos ad Defe-
'ctionem à Virtute ſolicitat, ita nobiſcum
'ratiocinemur atque ſtatuamus oportet; Non
'ſolùm videlicet, perpetuam Vitæ Honeſta-
'tem

* *In Dialog. De Animi Tranquil.*

'tem, ſed etiam hanc unam Actionem ab 'Honeſtate profectam, præſentem Libidinis 'hujus Victoriam, hoc puſillum quod nunc 'præſtandum eſt officii, in reprimendâ Cupi-'ditate, plus in ſe Decoris, & Dignitatis, 'plus & ſolidæ Voluptatis habere, quàm ſi 'nobis Officium deſerentibus omnes totius 'orbis & opes & Honores, imò etiam & 'Voluptates accreſcant. Hoc Veriſſimum eſſe quis dubitat, cui agnita ſit Honeſti incomparabilis Excellentia? Cúmque rem ita ſe habere luce ipſâ ſit illuſtrius, cur non ita eſſe nobis indubitanter & vehementiſſimè perſuademus? Si autem ſemel ita perſuaſi ſimus, non eſt magnoperè verendum, ne tantâ Honeſti Pulchritudine atque Præſtantiâ flocci penſâ, ſordes & turpitudinem amplectamur. Tanti erit hujuſmodi Meditationibus in uſu Vitæ nos aſſuefacere.

Quin Monte ſacro Divinæ Meditationis Mens alta petens, & in Sinum Dei ſubvolans, Mundum hunc inferiorem, omnéſq; res humanas cum faſtidio deſpicit, ac nihili facit. Heroica hæc Animi Exercitatio Rerum præſtantiſſimarum, inviſibilium, æternarum intimas Naturas, atque Adyta ſancta penetrat. Hæc Fontem Lucis, Patrem Luminum, & Lucem ipſiſſimam adire nititur ut Scientiâ Diviniſſimâ illuſtretur, Ardoribúſq; ſanctiſſimis flagret.

flagret. Hæc Inviſibilia Dei, Potentiam ejus atque Divinitatem, & in Cœlis, & in Terris, & in rerum uſquequaque conditarum Univerſitate contemplatur.

Cum autem meditantem te diutiùs in Muſæo aut Conclavi tuo deliteſcere tædet, potes ſolus prodire deambulatum; præſertim ſi ſub dio verſari, & Sol & Cœlum invitent. Tunc in patulis agris, dum Valetudinis ergò lautiùs veſceris Aurâ Æthereâ, corpúſq; exerces peragrando; ſi porrò ad Meditationes pias animum appellas, unâ eadémque operâ tam animi quàm corporis Sanitati optimè proſpicies. Hic cum immenſum Orbem undique circunſpectas, nullúmque in eo locum ſuis opibus non refertum, neque earum rerum ullam inutilem aut ſupervacuam reperis: cum intueris Solis ſplendorem ac micantis Cœli Pulchritudinem, Æſtus maris reciprocos, Terræ Molem Aere ſuſpenſam, virentia Prata, Sylvas amœnas, perpetuos Fluminum lapſus, Plantarum Incrementa atque Virtutes, Animalium varias formas, ac inſtinctus ſpontaneos, Avium Volatus, Piſcium Luſus; denique tantam hujus Machinæ Perfectionem, ut ſingulæ partes commodo totius inſerviant; his aſpectis rectéque conſideratis, non potes non æſtimare apud Te quantus ſit Opifex ex Opificii præſtantiâ. Hiſce contem-

templationibus exercitata mens ita ſecum cogitat; Si tanta eſt Pulchritudo in res creatas à Conditore Deo effuſa, quanta & quàm admirabilis eſt ipſius Conditoris Pulchritudo? Quantum igitur Honorem, Amorem, Obſequium Majeſtati ejus glorioſiſſimæ tribuamus oportet?

Rem fateor eſſe arduam fixâ attentâque Mente ſine ullâ Cogitationum Diſtractione atque Evagatione divinis Meditationibus inhærere. Ac ſæpenumerò accidit, ut etiamſi revocandis cogendiſq; in animum palantibus Cogitationibus operam demus, eáſq; domum reductas, intra Cordis ſepta detinere velimus, continuò iſtæ ubi paululùm ſeſe liberiùs agitaverint, facto impetu erumpant, atque hac illac ut anteà dilabantur. Queritur S. Bernardus non inventam eſſe inter cæteras Artes Liberales, Artem iſtam præ aliis Liberalem, quâ teneatur Cor, quod omni mobili mobilius, omni lubrico lubricoſius eſt. At verò ſi Deum ardenti Amore diligeremus, Mens cum Attentione fixâ ſuſpiceret tanquam unicum Boni Fontem, nec vago iſto Cogitationum æſtu huc illuc jactaretur. Ubi enim Theſaurus, ibi & Animus. In piis devotiſq; Meditationibus Evagatio mentis ex tepidâ Indifferentiâ plerumque oritur; Defectúſque Attentionis promanat ex Amoris Defectu.

Purus

Purus autem ſanctúſque Religioſi Pectoris Ardor impuras & alienas Cogitationes procul arcet, atque expellit. Neque enim infumantes Aras & flagrantia Holocauſta devolare audent rapaces Aves. Quin & ipſa Materiæ Dignitas, Pondus ingens, & Momentum ſummum ex fugâ ſuâ retrahere debent Cogitationes vagas. Offeruntur enim Conſiderationi Res maximæ quibus utique Mentem erigere noſtrâ plurimùm refert. Qualia ſunt,

1. Dei Natura, & Attributa, Immenſitas ejus & Æternitas, Omniſcientia, & Omnipotentia, infinita Sapientia, Bonitas, Sanctitas, Juſtitia, Manſuetudo, Longanimitas ac Miſericordia.

2. Incomprehenſibile glorioſiſſimæ Triadis in divinâ Unitate Myſterium, quatenus illud à Cœlo patefactum ſine periculoſâ Curioſitate intueri liceat.

3. Opera Dei, quorum luculentiſſima ſunt Rerum omnium Creatio, Conſervatio, Gubernatio, atque Humani Generis per Jeſum Chriſtum Redemptio.

4. Leges Divinæ, ſanctæ, juſtæ, bonæ, ad quarum Normam Vitæ Actiones exigi debeant.

5. Promiſſa & Minæ quibus Leges ſanciuntur.

Denìq; quatuor illa Novissima, Mors & Judicium, Cœlum & Infernum.

En hic summi Ponderis Argumentorum fertilis Seges, & opulenta Supellex, quæ studiosæ Menti gravissimas pariter & nobilissimas Cogitationes in perpetuum suggerere possint. Hæc Intellectum dignè exercebunt, atque attentum meritò tenebunt. Siquidem ex Judiciorum de his latorum Præscripto regenda vita sit, componendi Mores, Bonorúmque aut Malorum speranda Æternitas. Quo autem utiliùs de hisce tantis Rebus Meditatio instituatur; primùm ex se, & ex suâ Naturâ considerandæ sunt; deinde ad nos, Actionésq; nostras fideliter applicandæ. Atque in iis tum considerandis tum applicandis, ut Cogitationum Perturbationi, Confusioni, Fluctuationi, ac Distractioni, quoad fieri possit, medeamur, illásque Res magnas accuratiori Trutinatione, meliorique Attentione pensitemus; inter meditandum eâ serie, ac ordine Mentis conceptus nos disponere oportet, quibus mirabiles illæ tantique Momenti Veritates evidentiùs apprehendantur intimóq; sensui lucidiùs appareant. Quòd si etiam iis, qui divinis Meditationibus maximè intenti sunt, nonnunquam se ingerant Curæ Mundanæ, quibus Mens irretiatur, quò minùs ad altiora se attollat, & superna cogitet, heroico quodam

Impetu

Impetu abigendæ ſunt Cogitationes iſtæ atque Curæ viliores: Deúſque orandus ut Gratiæ ſuæ Auxilium nobis infirmis ſuppeditet; ſiquidem per nos ipſos non ſimus idonei, qui aliquid, ut per nos ipſos vel cogitemus: ſed quòd idonei ſimus, id à Deo eſt.

CAP. VI.

De Conſcientiæ Examine.

UNiverſum penè Humanum Genus multa variáque occupatum tenent negotia, quæ Gerræ & Nugæ potiùs dicenda ſunt, ſi cum hoc uno conferantur; Ut ſibi vacet, in ſe deſcendat, ſe cognoſcat, rebúſque verè ſuis conſulat: id tamen pauci faciunt; pleróſq; hominum nuſquam rariùs invenies quàm apud ſe. Commune verò hoc vitium, tanto gravius eſt in Studioſo, quanto eum maximè omnium decet ſibimet ipſi eſſe familiarem, domi manere, ſecum habitare, Actiones proprias diligenter exeutere, ac in ipſis Animi Receſſibus Cogitationes intimas explorare. Quantæ enim Stultitiæ eſt ad Scientiam rerum ſe totum applicare, & Conſcientiam negligere? Naturam omnem inſpicere ſuſpiceréque,

nunquam verò aut rarò admodum oculos retrò convertere in mores ſuos? Siderum Planetarúmque motus obſervare, ſed non ſuorum Affectuum? denique in Artium & Diſciplinarum Studiis nec modum nec finem facere, atque nihilominùs in craſsâ ſui Ignoratione verſari? Quid mihi, inquit * 'Vir non indoctus, cum Gram-'maticorum Libris, quando meæ 'Conſcientiæ Librum inſpicere oportet. Illi 'de Literis, Accentibus, Syllabis, Diſpunctio-'nibus altercantur; iſte me Vitiis docet obſi-'ſtere. Quid mihi Syllabarum enarratio, 'Verborum diligentia, Fabularum memoria, 'quid Verſuum lex & modificatio, ſi meipſum 'ignorem? Quid mihi cum Hiſtoricis, Poetis, 'Philoſophis, qui non rarò vana, ridicula, 'ſpinoſa, incerta, falſa, obſcœna propinant? 'Procul, ô procul omnes horum Codices, ſi 'propter illos Conſcientiæ meæ Liber ſit ne-'gligendus. Quid mihi Medicorum aut Juriſ-'conſultorum Volumina, ſi nequeam Con-'ſcientiæ meæ inextricabile volumen quo-'tidiè inſpicere? Illa Febrem pellere, aut 'Litem componere me docent; at verò hic 'Conſcientiæ codex docet me, quî meipſum 'noſce poſſim & melior fieri.

* *Drexelius in Trifmegiſto Chriſtiano.*

Certè quidem peccatis omnibus, ac Imperfectionibus humanis, utile admodum & opportunum

portunum eſt Remedium ſi quotidiano Conſcientiæ Examine quiſque reum ſe citet ad Mentis ſuæ Tribunal, ac ſub unumquemque Veſperum Diei Errores exquirat, ut quid, quáve ratione ſequenti luce ſit cavendum ſtatuere poſſit. Naturâ ipſâ impellente adducti ſunt prudentiores Ethnici, ut hanc ſicut ultimam, ita non minimam Diei Actionem, eſſe voluerint. Pythagoras ſomno non ante indulſit, quàm ſecum de ſeipſo colloqueretur, & quicquid die toto egiſſet vel approbaret, vel improbaret. Inſtitutum illud præſtantiſſimum Diſcipulis ſuis in aureis Carminibus tradidit.

Μηδ' ὕπνον μαλακοῖσιν ἐπ' ὄμμασι, &c.

Mollia nec priùs admittant tua Lumina ſomnum,
Exactæ quàm ter reputaris cuncta diei,
Quæ prætergreſſus? quæ geſſi? quæ malè omiſi?
Singula percurrens à primo facta, quibus tu
Vel pravis doleas, vel ſint tibi gaudia juſtis.

Publius etiam Sextius, teſte Senecâ, Morem hunc antiquum tenuit. Conſummato die, cum ſe ad nocturnam quietem reciperet, interrogavit animum ſuum. 'Quod hodiè malum 'tuum ſanaſti? Cui vitio obſtitiſti? Quâ 'parte melior es? Ipſéque Seneca Imperatoris Præceptor inter Strepitus aulicos Examen

Conſcientiæ non omiſit. Quid pulcrius, inquit, '* hac Conſuetudine excutiendi totum diem? Qualis 'ſomnus poſt Recognitionem 'ſui ſequitur? quàm tranquillus, altus, ac li'ber, cum aut laudatus eſt animus, aut ad'monitus, & Speculator ſui, cenſorque ſecre'tus cognoſcit de Moribus ſuis? Utor hac 'poteſtate, & quotidiè apud me cauſam dico: 'cum ſublatum è conſpectu lumen eſt, & 'conticuit Uxor Moris jam mei conſcia, to'tum diem mecum ſcrutor; facta ac dicta 'mea remetior. Nihil mihi ipſi abſcondo, 'nihil tranſeo; quare enim quidquam ex Er'roribus meis timeam, cum poſſim dicere: 'Vide ne iſtud ampliùs facias, nunc tibi ig'noſco.

* *Lib.* 3. *de irâ, cap.* 36.

Quinetiam ut hoc Conſcientiæ Examen inſtituamus, Deus ipſe in ſacris Literis nobis præcepit. Aggæ. 1. 5. Sic dicit armipotens Jehova, advertite animum ad rationes veſtras. id eſt, inquirite in vos veſtráſque actiones; etiam atque etiam attendite, quid egiſtis, ac quid acturi eſtis: diligentiſſimè conſiderate Mores veſtros, ac rerum veſtrarum Statum. Ac Apoſtolus ita Corinthios monet, 2 Cor. 13. 5. Vos ipſos pertentate, an ſitis fide prædíti: Vos ipſos explorate. Et 1 Cor. 11. 31. Si ipſi inquit nos dijudicaremus, non judicaremur,

remur, i. e. Si noſmet examinaremus, vel diſcuteremus, ſi Scelera noſtra damnaremus, ac factorum pœnas, de nobis ipſis, animo contrito & demiſſo, lacrymis & jejuniis exigeremus, Judicium ſive Sententia in nos non ferretur; pœnas nobis non infligeret Deus. Eas enim vel avertimus, vel mitigamus, ſi vocemus nos ad calculum, & Pœnitentiâ tacti iram Numinis deprecemur. Hinc illa Prophetæ Hortatio, Exploremus, & perſcrutemur mores noſtros, & ad Jehovam revertamur, Lamen. 3. 40. Hoc fecit David optimo cum ſucceſſu, Pſal. 119. 59. Recogitavi, inquit, meos Mores, meóſque pedes ad Oracula tua converti, i. e. Diligenter recenſui, atque expendi Conſilia mea, Inſtituta, Actiones, Conſuetudines, Affectus, Sermones, &c. ut conſtaret mihi de Erratis meis: ac ſicubi deviaſſe me reperi, ad Vitam meliùs regendam attentus, reduxi pedes meos, ut Deum Ducem optimum, ſanctámq; divinæ Legis Inſtitutionem ſequerer. Verſu autem hujus Pſalmi nono Deum per Apoſtrophen ſic alloquitur. Quomodo purificabit Adoleſcens ſemitam ſuam? Obſervando eam ſecundum Verba tua. Non ait quânam re exercebit Ingenium ſuum, aut Memoriam, ſed quo pacto corriget Vitam ſuam; & hoc rectè vivendi Principium tradit, ut Actiones ſuas attentè conſideret, eáſq;

ad divinæ Legis Normam exigat. Nec solùm explorandæ Conscientiæ operam dandam, sed id accuratissimè faciendum censuit Rex pius, Psal. 77. 6. Meditatus sum, inquit, nocte cum Corde meo, & scopabam Spiritum meum, i. e. scopis purgabam. Aliter vertitur, scopebam Spiritum meum, i. e. fodiebam. Quasi dixerat, Animum meum scrutatus sum, idq; non obiter, aut perfunctoriè; sed curâ summâ omnes Conscientiæ meæ Angulos rimabar, & quicquid Sordium, aut minimi pulviſculi repertum fuerit, id totum everrebam: adeò ut mecum ipse colloquendo, variéque super Delictis meis ratiocinando, integras quandoque noctes consumpserim, in penitissimos Mentis meæ recessus descendens, Animúmque meum quasi scopis Cogitationum huc illuc versans. Ac Psal. 6. 6. Lectum meum per singulas noctes madefeci, cubile meum lacrymis humectavi, i. e. Nocte penè omni, Negotiis diurnis cessantibus, quando & meditari, & flere, nemine me vidente, possem liberiùs, de malis quibus expositus sum, déque Delictis malorum causis seriò cogitans, severúmque habens examen, Lacrymis ubertim fluentibus peccata diluere, & ab omni labe vitiorum me purgare sum conatus.

Piâ hac Exercitatione Regius ille Vates optimæ Vitæ Fundamenta jecit. Et cuique sanè

ſanè perquam utile & neceſſarium eſt, in actiones ſuas ad hunc modum diligenter inquirere, ſive bonæ, ſeu malæ ſint; ſi bonæ earum Commemoratio Animum Gaudio inde profluente, tum ad Gratitudinem erga Deum, omnis Boni Fontem, tum ad Perſeverantiam in Bono excitabit: Sin malæ, eò potiùs ad Incudem revocandæ ſunt, cum alioquin corrigi nequeant. Niſi enim in quo delinquatur, animadvertimus, omnem Vitæ Emendationem prorſùs negligentes quotidiè in pejus prolabimur. Quò ſæpius autem Examen hoc adhibetur, eò notiora erunt Peccata noſtra, atque maturiùs repelli poterunt, priuſquam in Habitum & Conſuetudinem invaleſcant. Nam ex Habitu peccare citò diſcit, quicunq; ſe perrarò ac negligenter diſcutit. Hinc enim neceſſe eſt Vitia in dies Augmentum ſumant, atque turpium Cupiditatum cauſæ creſcant, unde proxima Ruina ſit in varias & periculoſiſſimas Vitæ Labes.

Optandum igitur eſſet ut quiſque facta Diei Veſperè exploraret, & quando lecto, & ſomno ſe traditurus eſt, iterum iterúmq; reputaret, quomodo diurnas horas conſumpſerit, qualis in Templo, in Foro, in Domo, qualis in Menſâ, qualis alibi fuerit? An ullum Peccatum Voluntarium admiſerit, quod particulari Pœnitentiâ expiandum ſit, priuſquam

ejus

ejus Remissio possit impetrari? Conscium utiq; sibi esse vel unici letalis Criminis, nec illud Pœnitentiâ delesse, nihilominùs se somno committere Temeritatis est extremæ. Unde enim certò constabit, eum qui Lecto decumbit unquam resurrecturum esse. Qui autem moritur peccatis suis voluntariis nondum expiatis, nullam à Deo Misericordiam sperare potest.

Diebus autem Jejunii, & ante Participationem Cœnæ Dominicæ, severius ac solennius Examen instituatur oportet. Tunc Recessus mentis ultimi, sinus abditi, penitissimæque tenebræ explorari debent. Tunc non satis est si pro recentibus Peccatis nos ad calculum vocemus, nisi in Memoriam nobis redeant, quibus Oblivio pridem inducta videri poterat. Regius Propheta Scelus ob unum grave animam suam affligens, hac Occasione usque ad Uterum Matris revolvitur, in quo jam labem contraxerat, non ut culpam ex naturæ corruptelâ extenuet, sed ut totius Vitæ Peccata accumulans, quò severior sit in se damnando, eò magis exorabilem Deum reperiat. Atque S. Paulus ad salutarem Eucharistiæ Participationem, Examen antecedaneum diserte requirit. Exploret autem quisque seipsum, inquit, & ita de pane illo edat, & de poculo illo bibat, 1 Cor. 11. 28.

Tempo-

Temporibus illis intenſiſſima Diligentia adhibenda eſt, & particularis Exploratio, ut ſciamus, quoad fieri poteſt, ſingula quæque in quibus deliquimus. Tunc & in omnia Peccatorum noſtrorum Genera, & in omnes eorum Exaggerationes attentè inquirendum eſt; ut ſummâ cum Demiſſione ac Animi contritione Deo confiteamur, quem in modum Criminibus noſtris læſa fuerit Majeſtas, Puritas, & Miſericordia Divina: quoties & quàm graviter noſtra fuerit violata Fides, quâ Chriſto in Baptiſmate nomen dedimus: quoties Scientes, prudentes, ac deliberantes Peccatum admiſerimus: quoties, reluctante licet atque nos redarguente Conſcientiâ, póſtque multa emendandæ Vitæ Propoſita. Examine tam accurato opus eſt, ut Vitiis omnibus abdicatis, Pœnitentia noſtra ſincera, & integra ſit, Deoque accepta. Iſtud autem Examen inſtituenti uſui eſſe poteſt, Legum Divinarum Elenchum aliquem attentè perlegere, & de quaque cujuſque Legis Violatione ſeipſum interrogare, An hujus ego reus ſim; ut omnia quæ malè vel omiſit vel commiſit, ſingulatim & humillimè coram Deo agnoſcat, ejúſque Gratiam ſupplex petat, quâ contra iſta in poſterum firmiùs muniatur.

Denique

Denique ut hoc modo noſmetipſos in tam accuratum Judicium vocare excitemur, ut noſmetipſos Conſcientiâ noſtrâ in Tribunali ſedente ad cauſam dicendam cogamus; utile erit de extremo Dei Judicio acerrimam & attentiſſimam Cogitationem ſuſcipere. Proponantur igitur ob Mentis oculos Forum omnium Auguſtiſſimum, Tribunal ſummi Judicis, & tremenda illius Diei Majeſtas, quo Cœli columnæ magno fragore contremiſcent, quo Stellæ repentino Flammarum tractu decuſſæ ut frondes Arborum decident, quo Luna cruentabitur, quo puriſſimæ Solis faces atrâ fuligine ſe induent; quo Elementa ardentia diſſolventur, & Tellus, & quæ ſunt in eâ res conflagrabunt, 2 Pet. 3. 10. Quale erit illud Spectaculum, cum perſonabunt ingenti fremitu cœleſtes Tubæ, quæ Portas æneas frangent, Petras ſcindent, Inferos aperient; cum tot corpora tot jam Sæculis caſſa, tot millia quæ Pontus hauſit, Ignis abſorbuit, Ferrum conſumpſit, Ferarum dentes moluerunt, Morbus attrivit, Mors ad ſummum interemit; tam repentè pertextis Oſſium Commiſſuris Carne veſtienda ſunt, & Spiritu animanda, ut ad Judicium veniant? Quàm terribilis erit illa Hora, in quâ omnes qui in Monimentis erunt, audient Chriſti Vocem; & prodibunt, qui bona

bona fecerint, ut ad Vitam reſurgant; qui verò vitioſa egerint, ut ad Supplicium reſurgant? Joh. 5. 28, 29. Quale erit Examen, quo non tantum Adulteria, Scortationes, Ebrietates, Homicidia, iſtæque Sordes graviores; ſed Labeculæ inſperſæ Actionibus noſtris, Vocula otioſè miſſa, Ocellus fixus intortè, Cogitatiuncula concepta pravè, Punctulus Temporis poſitus malè vocabuntur ad calculos? Quale erit Tribunal Judicis, cujus etiam Infantis ſuperbiſſimos Reges Cunæ terruerunt, quique de Rebus omnibus, etiam occultiſſimis & abditiſſimis Sententiam laturus eſt? Quale Forum, cum tot ardentium Curruum Millia circumſtabunt, tótque famulabuntur Angeli; viviq; omnes juxta ac mortui, parvi juxta ac magni ante Dominum aſtabunt, aperientúrque qui jam clauſi ſunt, tum Libri Conſcientiarum, tum Vitæ Liber, & judicabuntur omnes ex Librorum Scriptis, pro ſuis factis; Omnéſque qui in Vitæ Libro ſcripti non fuerint, in igneum Stagnum conjicientur? Rev. 20. 12, 15. Quantus tunc Improborum Terror, quis Pavor Mentium, quis pallor Corporum, quæ Omnium Trepidatio? Magnus Apoſtolus ingenuè fatetur ſe Commentatione ultimi Judicii, ut ſanctè & incorruptè Miniſterio ſuo incumberet adjutum

tum esse, 2 Cor. 5. Et ad Pœnitentiam Athenienses cohortans, hac Suasione utitur, Quòd Deus Diem constituit, in quo Mundum in Justitiâ judicabit, Act. 17. 31. Quin & Supremi illius horrendique Judicii effugiendi optima Ratio ab eodem Apostolo divinitùs edocto ostenditur; Si nimirum antequam veniat Dies Domini magnus & horribilis, ejus nos judicandi condemnandiq; partes illi præcipiamus, ejúsque quodammodò Muneri Vicarii succedamus. Nam loco supra memorato, Si nosmetipsos, inquit, dijudicaremus, non utique judicaremur, 1 Cor. 11. 31.

CAP. VII.

De Oratione privatâ, ejúſque cum Utilitate, tum Neceſſitate, licet utráque Precibus publicis lubentiſſimè cedat.

TRIA illa pii Receſſus Officia, magnáq; ſanctæ Vitæ Inſtrumenta, Literarum Sacrarum Lectionem, Meditationem Religioſam, atque Conſcientiæ Examen ſuperioribus Capitibus breviter commendavi. Nihil autem horum efficax eſſe ſine Auxilio divinæ Gratiæ, neque Gratia divina ſine ardentibus Precibus impetrari poteſt. Poſtremò igitur de Officio illo quarto & maximè neceſſario ſum dicturus. Prius verò quàm Orationem privatam ejúſque Uſum ſingularem attingere conor, paucis explicabo Neceſſitatem & Utilitatem Orationis in univerſum. Oratio ſive Precatio latè & generaliter accepta, nihil aliud eſt quàm Mentis ad Deum Aſcenſus, & quoddam quaſi cum Cœli Terræque Domino Colloquium, ad Divinam Majeſtatem piè ſanctéq; venerandam, Opémque ab eâ implorandam, tum pro nobiſmet ipſis, tum pro aliis, cum humili Pravitatis & Miſeriæ noſtræ Confeſſione, gratâque Numinis Optimi Maximi, Beneficiorúmque ejus Celebratione, ſive id

fiat

fiat in Hominum Fidelium Cœtu, aut alibi coram Arbitris; ſive in Conclavi, in Muſæo, aut quibuſlibet Locis privatis. Aditum hunc & Alloquium ad Deum, ipſa Natura docet, nec minùs perſpicuè iiſdem Principiis, ex quibus, qui nos condidit conſervátque, Deum eſſe, Rationi humanæ perſuaſum fuit, invocandi eum neceſſitas demonſtrari poteſt. Religionis naturalis Fundamentum primum eſt, ut ad Deum accedamus, credentes & eum eſſe, & Remuneratorem eſſe omnibus, qui eum quærunt. Innato quodam Inſtinctu vitæ noſtræ Autorem Fautorémque adimus, ut ab eo Subſidium, Opem, Tutelam expetamus; non aliter quàm Infantes vagitu ſuo ubera ſinúmque Matris poſtulant, omniúmq; Animalium Pulli ad Genetrices ſuas confugiunt. Precum Religionem nobis dictat generalis ille Divinitatis Senſus, quo ſummum agnoſcimus Opificem, qui Influxu ſuo procreat, conſervat, nutrit, exhilarat cœleſtia terreſtriáque omnia. Si Deum Conditorem noſtrum ſuâ nos fulcire Potentiâ ſentiamus, Providentiâ regere, Bonitate fovere, ex communi illâ Patris Optimi notitiâ, in Fidem & Præſidium ejus nos recipere, omnéque Bonum ab illo petere, & acceptum illi ferre, neceſſe eſt diſcamus.

Ab indigentibus mortalibus Numini Preces fundendas, non ſcripta ſolùm eſt ſed nata

Lex:

Lex; quam non modò didicimus, accepimus; legimus, verùm cum ipſo Matris Lacte abſorpſimus, hauſimus, imbibimus: ad quam non docti, ſed facti, non inſtituti, ſed imbuti videmur. Hinc in omnibus Legis Moſaicæ Præceptis, nullum de Deo Precibus invocando traditum reperimus; Mandatáque Evangelica non tam de ipſâ Oratione, quàm de recto Orandi Modo dari videntur: cujus rei vix alia Ratio reddi poteſt, præterquam quòd hoc fieri oportere, ipſius Naturæ Lege Lucéque Hominibus univerſis conſpicuum fuit. Hinc etiam apud Ethnicos omnes Viri Primarii, ſive Senatores, ſive Poetæ, ſive Oratores, ſeu demum Milites & Rerum agendarum, & Dicendi Initium à Precationibus capere ſolebant.

Experiuntur omnes magnis Defectibus laborare, compluribúſque malis ac Periculis obnoxias eſſe Res humanas. Cúmque nulla unquam in hac Vitâ conſtare poſſit perfecta Securitas, aut conſummata Virtus, aut infallibilis Sapientia, aut plena Pax Fœlicitáſque, ad divinam Opem implorandam fragilis noſtræ in Terrâ Sortis perpetuâ cogimur Neceſſitate. Miſer enim eſt Homo, ubicunque ſit, & quocunque ſe vertat, niſi ad Deum confugiat. Omnia alia nihil juvant, ſi divino deſtituti ſimus Auxilio. Quàm caſſa

Inanitas eſt Rerum creatarum Ubertas ſumma ſine Creatoris Benedictione? Aut quomodo Benedictio illa impetrari poteſt, niſi eam humili Prece imploremus? Certè quidem penes Deum in nos Imperium eſt ſummum, omniſque noſtra Salus, omnis Fœlicitas, omne denique Bonum noſtrum penitùs & in ſolidum ab ejus Arbitrio pendet, nec apud ullum alium quàm apud Deum quærendum eſt. Si in noſmetipſos deſcendamus, Pravitatem, Tenuitatem, Paupertatem, Impotentiam noſtram non obſcurè contemplamur. At quem, quæſo, adirent tam miſeri Peccatores, tam egeni & imbecilli Homunciones, niſi præpotentem & ſummè miſericordem Cœli Regem, qui munificentiſſimus pariter & ditiſſimus rogari largiríque maximè cupit? Quò in omni noſtrâ Indigentiâ noſmet conferremus, niſi ad inexhauſtum Boni Fontem? Quò in Periculis, niſi ad ſummum Vindicem atque Conſervatorem?

Literis ſacris hi & ſimiles Tituli Deo paſſim tribuuntur, quòd ſcilicet Clypeus ſit noſter, Murus, Vallum, Arx, Propugnaculum, Lorica, Turris, Munimentum, & Aſylum, ut diſcamus nos nunquam eſſe incolumes, niſi ejus tutelam continuis Precibus poſtulemus: Id quod licet complures non agnoſcant; tamen Intelligentibus Experientia teſtatur, quotidiè plus

quàm

quàm ſexcentas cauſas exiſtere poſſe, quæ meritò nos ad precandum excitent. Innumeræ ſunt Inſidiæ Hoſtis nobis jurati & implacabilis, qui perpetuò inſtar Leonis rugientis & famelici circuit, quærens quem devoret. Nec aliis Armis præterquam piis & ardentibus Precibus reſiſti poteſt. Inter Mundi etiam & Carnis Illecebras tot peccandi Occaſionibus circundati, ne uno quidem breviſſimi temporis Momento Gratiâ, Præſidio, & Auxilio Divino tutò carere poſſumus. Variáque ſunt multiplicis Generis mala, quorum nullum patet effugium, niſi quod expetendum ſit ab omnipotenti ac beneficâ Dei manu. Idcireò docet Scriptura ſacra oportere nos ſemper Numen invocare; quia jugiter & in rebus omnibus ejus Auxilio indigemus. Propoſuit Chriſtus Exemplum, quo ſemper orandum eſſe, nec defatigari oportere oſtenderet. Luc. 18. 1, 2, 3, 4, 5. Continenter orate, inquit, Apoſtolus, in omnibus Deo Gratias agite, 1 Theſſ. 5. 17, 18. Quibus Præceptis Monitiſque fateor equidem non exigi, Ut quis ſe ita Precibus & Gratiarum Actionibus perpetuò tradat, ut neque Ungues abradere, neq; Crines detondere, aut ullam Corporis curam adhibere meminerit. Semper autem & continenter orare exiſtimabitur, qui ſtata orandi Tempora nullo unquam die prætermittit;

qui pias Aſpirationes uſquequaque exhalat; quique omnia quæcunque agit ſanctâ Mentis Elevatione, ac Intentione purâ ad Deum refert. Atque ut non dubitanter & trepidè Preces offeramus, Deus nobis benignè exorabilis, & obvius fore promittitur. Petite, inquit Dominus noſter, & dabitur vobis: quærite & invenietis: pulſate & vobis aperietur, Mat. 7. 7.

Orationem eſſe Animam ipſius Animæ dixit Chryſoſtomus; nec immeritò, cum per eam, divinâ Gratiâ ad nos fluente, Anima, Salus, Vitáque ipſa quodam modò vivere videatur. Quòd ſi divinæ Gratiæ Canalis hic deficiat, areſcit Anima & ſenſim perit. Vides quantus Apparatus neceſſarius ſit ad conſervandam Vitam & ſalutem Corporis, in Domo, Lecto, Veſtitu, Victu. Longè plus neceſſarium Vitæ & Saluti Animæ, quæ plures & majores Inimicos habeat, pluribúſq; indigeat ſubſidiis. Verùm adverſus omnes hominum Dæmonúmque Inſultus optimo nobis Auxilio Præſidióq; eſt Oratio.

Anima, cujus Vigor Vitáque omnis à cœleſtibus Donis atque Influentiis pendet, ſi ex Precum neglectu iis deſtituatur, labaſcit ſtatim, & colliqueſcit tota, atque ignavo quodam Sopore conſepulta, Mortem bibit variis modis diu noctúque, à funeſtâ Inferorum manu

manu propinatam. Deſtituta enim cœleſti Vitâ ſuâ, cujus hac cum Deo Communicatione particeps facta eſt, gravi Torpore defoſſa jacet, adeò ut nec Divinæ Virtutis rorem influxúmque ſentiat, nec mala ſua perſentiſcat, nec amiſſorum bonorum Deſiderio tangatur; quin quicquid ante poſſidebat deletum prorſus & extinctum habeat: quæ omnia ex Orationis prætermiſſo Studio paulatim irrepunt, donec ad extrema demum hominem deducant, etiam uſque ad miſeranda Religionis Præcipitia. Hinc mortalium Labes & Ruinæ, ſiquidem nemo quiſquam ad Crimina deſcendit, aut in iis invaluit, callúmve obduxit, qui non ante ſacra Precum officia nihili habuerit. Adeò ut Preces devotæ propugnacula armáque ſint validiſſima quibus Mens pia ſe tueatur, adverſus Carnem, Mundum, Diabolum, omnémque eorum Apparatum. Quòd ſi undique oppreſſa ceciderit, Precum Ardoribus excita promptiùs exurgit, periculáque ſua & vulnera lugens agnoſcit: neque diutiùs proſtrata licet inhærere Luto poteſt, quæ potentibus hiſce diurnis Adminiculis, & auxiliaribus Copiis fulciatur. Omnes enim Vitiorum illecebræ repelli poſſunt, omnia neceſſaria Divinæ Gratiæ Præſidia obtineri, ſi apud Deum Supplicationibus importunis aſſiduè atque vehementer agitur.

Pœnitentia, Fides, Charitas, Zelus, Puritas, Castitas, Prudentia, Fortitudo, Patientia, omnésque Virtutes ferventi Oratione cœlitùs impetrantur. Docemur hoc Sæculorum omnium Exemplis, cum eos legamus omnibus semper Virtutibus fuisse cultissimos, qui speciali Orationis Prærogativâ florerent. Hæc optima est Mentis, Voluntatis, Affectuúmq; Exercitatio, mœrentium Consolatio, lætantium Jucunditas. Quòd fesso Quies, languenti Robur, inopi Aurum, Nervi Membris, Spiritus Sanguísque Vitæ; hoc Animæ Oratio: Cœli Thesauros aperit, Mentémque fœcundo Divini Spiritus Influxu locupletat, sœcurâ Pace firmat, ingenti perfundit Voluptate. Quod nobilissima Pharmaca Morbis medendis, hoc Oratio Animi Vitiis. Generosa est Antidotus, quæ pestiferam Peccati malignitatem subigat, & valentissima Inferorum Venena profliget. Hæc Tormentis superiores Cultores suos fecit, omnium rerum adversarum, omnium Suppliciorum Contemptores; in Paupertate, Fame, Siti, Exilio, atque Carcere tranquillos & lætos; Ignibus, Clavis, Ferro, Cruce majores; adeò ut neq; in nervo neque sub ense & securibus pœnas senserit devotus Animus, qui per Orationem fuerit cum Deo conjunctus.

Ardore

Ardore pio precantes Sanctuarium Cœli quodammodò conſcendimus, Divinæ Majeſtati nos ſiſtimus, Angelorúmque qui Dei Faciem aſpiciunt deguſtamus delicias. Dominus prope eſt, inquit Regius Vates, omnibus invocantibus ſe, invocantibus in Veritate, Pſal. 65. 24. Eſt hoc Sacrificium, & Suffitus coram Deo pretioſiſſimus & gratiſſimi odoris, ex Chriſti pro nobis in Arâ Crucis immolati Sacrificio, ad abolendum Pravitatis noſtræ Fœtorem, vim nactus efficaciſſimam. Neque aliâ in re ſitus eſt præcipuus Dei Cultus, quàm in ſanctâ ſyncerâque Divini Nominis Invocatione. Sapientes non ſolùm inter Iſraelitas, ſed etiam inter Ethnicos, ipſis Hecatombis prætulerunt hoc Precum Gratiarumq; Actionis Sacrificium. *'Eſt 'Ciceroni viſus Cultus Deorum 'optimus, idémq; caſtiſſimus, atq; 'ſanctiſſimus, pleniſſimúſque Pietatis: ſi eos 'ſemper purâ, integrâ, incorruptâ, & mente '& voce veneremur.

* *Lib. 2. De Naturâ Deorum.*

Quin & pii Hominis, dum in hoc Mundo exulat, ſuprema eſt Fœlicitas, quòd in omnibus ſuis Curis, Anguſtiis, ac Difficultatibus ad præpotentem & benigniſſimum Patrem, tanquam ad ſacram Anchoram confugere liceat. Nihil eſte ſoliciti, inquit Apoſtolus, ſed omni in re efficite Precibus, & Supplica-

tionibus, cum Gratiarum actione, ut veſtra Poſtulata Deo declarentur: Et divina Pax omnem mentem exuperans veſtros animos, & Cogitationes in Chriſto Jeſu cuſtodiet. Phil. 4. 6, 7. Summus Naturæ & Rerum omnium Auctor, qui nil fruſtra facit, non inſtituit hunc ad ſe per preces Aditum, tanquam rem inanem & evanidam, ſed miram ei indidit virtutem. Hanc veluti Machinam ſuppeditavit, quâ manibus in Cœlum elevatis, dira quæque & infœlicia, levi ſuavíque Operâ amoliamur, & quæcunque verè nobis propitia ſunt & utilia, pari facilitate attrahamus.

Magna hæc quæ de Oratione in univerſum memoravi, omnibus piis ſanctiſque Precibus, ſive publicis, ſive privatis, tribui poſſunt. Jam verò privatas Preces, earúmq; Uſum & Effectum, ſpeciatim conſiderabo. Quàm neceſſariæ ſint illæ apparet primùm ex diſerto Chriſti Domini Mandato. Cum ſupplicas, inquit, ne eſto Simulatorum ſimilis, qui cum ſupplicant, amant in Synagogis eſſe, & Platearum angiportis, ut ab hominibus videantur. Hoc vobis confirmo eos habere ſuam mercedem. At tu ſupplicaturus ingrédere conclave tuum, & clauſâ januâ tuâ, ſupplica tuo Patri in occulto: Et Pater tuus qui occulta videt tibi palam reddet, Mat. 6. 5, 6. Iſto capite Chriſtus, optimus Præceptor, Orationem

tionem privatam inter præcipua Religionis noſtræ Officia collocat. Neque ad eam duntaxat cohortatus eſt, ſed ejus inſuper Modum, Formam, Locum, Finem, Effectumq; tradit; non uſurus proculdubiò hac in re tantâ Diligentiâ, niſi neceſſaria quædam Pietatis pars eſſet. Verùm quantumcunq; nobis utilis Exercitatio, quantumvis Deo Sacrificium gratum ſint Preces noſtræ, tam privatæ quàm publicæ; ex animo tamen non ſyncero profectæ res tetra fiunt & deteſtabilis. Omnium enim rectè factorum perniciosiſſima Peſtis eſt Simulatio. Quocirca damnat Chriſtus hypocriticas Phariſæorum Supplicationes, qui ambitioſâ Precum Oſtentatione Auram popularem hominúmque Favorem captabant, etiamſi viderentur nihil niſi Deum quærere. Atq; ubi nos ab Hypocritarum iſtorum Exemplo abſtraxit, qui Preces ſuas proprias privatâſq; in Locis maximè publicis, in Synagogis, imò in compitis, & Triviis offerebant, ut Hominibus eſſent conſpicui; ſimul adjicit, quomodo Preces id genus habendæ ſint, intrando ſcilicet Conclave, & clauſâ januâ orando Patrem tuum in occulto.

Non hic omnes in Synagogâ Orationes improbat S. Jeſus, ſiquidem & ipſe in & cum Synagogâ oravit. Non vetat utique Preces pro Bono publico palam in Conventibus fieri, imò

imò alibi etiam jubet. Quin & illas Fidelium Preces, quæ pie & ſyncerè, uno ore unóque animo in commune fiunt, quàm certiſſimè exauditum iri promittit, Mat. 18. 19, 20. Certò ſcitote, inquit, ſi duo Veſtrum in terrâ conſenſerint, quamcunque rem petierint, impetraturos à Patre meo qui in Cœlis eſt. Ubi ſunt enim duo tréſve meo nomine congregati, illic ego ſum inter eos. At verò ſi quicquid duo petierint Deus illis concedat, multò magis, ſi plures ad aliquid petendum conſpiraverint, maximè omnium ſi univerſa Eccleſia. Divina Benignitas, quæ etiam uni precanti dat quod rogat, pluribus inter ſe concordibus, & libentiùs, & plura, & citiùs largiri ſolet. Nemo enim inficias ibit, quin in publicâ Orationis Domo multi Fideles in eâdem Petitione uniti, ad bona à Deo impetranda fortiores ſint, & efficaciores. Eſtque ſane probabile, cum noſtræ Supplicationes totius Eccleſiæ precibus admiſcentur, intereſſe aliquos qui non ſolùm æquali Spiritus Virtute prædíti, Preces noſtras duplicaverint, ſed majori etiam & abundantiori, multò potentiores effecerint. Certè quidem Chriſtus de duobus tribúſve in Nomine ſuo congregatis, nihil omninò dixiſſet, niſi hæc duorum triúmve Congregatio aliquam ſaltem præ unius Solitudine Utilitatem atque Prærogativam habitura

bitura esset. Hic igitur nequaquam voluit Publicis Precibus privatas anteponere, sed crassam Pharisæorum damnare Hypocrisin, qui nunquam in occulto Numini supplicabant, sed ad Orationes suas cujuscunque Generis, Locum aliquem semper seligebant publicum & frequentem, ubi solebat plebis esse concursus, ut omnium Oculis in se conversis, admirantis Vulgi Laudibus celebrarentur. Nos autem decet ad privatas Preces Secessum quærere, nec Testes inter Orandum ambitiosè prensare; ne propter falsam Gloriolam frustremur nos ipsi tam fœlici Præmio, quod Deus sit repensurus, si Precum nostrarum puram ac synceram Victimam illius Oculis, à quibus nihil est abditum, in abdito offeramus.

Neque Mandato solùm, tàmque immensi Præmii Pollicitatione nos ad hoc excitavit Christus, sed & suo ipsius Exemplo. Nam sæpiùs orandi Causâ, à Turbâ & Hominum Frequentiâ; quin imò à Discipulorum etiam Conspectu secessit, & in secretum aliquem locum se abdidit, Mat. 14. 22, 23. Jesus, Discipulis suis navim conscendere coactis, ac Multitudine dimissâ, in Montem ascendit seorsum precandi gratiâ. In Monte scilicet Commoditatem quæsivit, ut procul omni Strepitu, Vota sua & Gemitus coram Deo liberiùs effun-

effunderet: Non quòd in illo ſicut in nobis Avocamentis ullis concideret Precandi Ardor, vel remiſſus langueſceret, nedum ſimulatus oſtentaretur Hominibus; ſed ut Exemplo ſuo nos moneret, Adminiculis illis, quæ Mentes noſtras à vanâ Glorià, & omnibus Mundi laqueis expediant, ſedulò utendum eſſe, ut ſynceri & ſoluti in Cœlum feramur. Alio etiam tempore, poſtquam multos variis Morbis laborantes ſanaverat Chriſtus, & multa Dæmonia ejecerat, ut Laudem fugeret humanam, diluculò ſurrexit, abiitq; in deſertum locum, atque illic orabat, Marc. 1. 34, 35. Et paulò ante Agonem ſuum, cum venit in Locum nomine Gethſemane, Diſcipulos ſic alloquitur, Sedete hic, dum ego illuc ad precandum eo, Mat. 26. 36. Prætereà quamquam tunc ſecum aſſumebat Petrum, & duos Zebedæi Filios, Florem ſcilicet Diſcipulorum, ab illis tamen lectiſſimis Comitibus, paululùm diſceſſit, antequàm pronus cecidit & ſupplicavit, ver. 39. Quin & à tribus illis non unâ ſolùm, ſed alterâ, atque tertiâ etiam vice abiit precandi gratiâ, Mat. 26. 41, 42, 43, 44.

* *Chryſoſt. Hom. 84. in Matth.*

* 'Mos erat ejus, inquit S. Chryſoſtomus, ſine Diſcipulis orare: 'hoc autem faciebat, erudiens nos in Orationibus quietem conſtituere, & Solitudinem 'multam quærere. Cum autem Chriſtus Dominus

minus multoties ſeorſum ſeceſſerit, & ſine Teſtibus precatus fuerit, vereatur Diſcipulus id rarò facere, quod Magiſter ejus perſæpe fecit?

Quinetiam hac in re, Sæculorum omnium ſanctiſſimi quique Homines Exempli ſui Luce nobis præiverunt. Cùm digreſſi ſunt quos Abrahamus comitatus fuerat, [Gen. 18. 22.] ipſe ſolus coram Domino ſtans, pro Sodomitis ſuppliciter deprecatus eſt, unáque illius Oratio adeò fuit accepta, ut ad ſextum uſque Votum placidè exauditus ſit, promiſerítque miſericors Deus, ſi vel decem juſtos in Civitate iſtâ reperiret, ſe propter decem illos univerſæ Regioni velle parcere. Iſaacum legimus ſub veſperam egreſſum eſſe ad orandum in agro, Gen. 24. 63. Sic enim Interpretes aliquot Locum vertunt, licet ab aliis vertatur, ad Meditandum. Nam utroq; modo verbum Hebraicum exponi poteſt. Credibile eſt feciſſe id ex more, & Seceſſum precibus fuiſſe quæſitum, quò mens attentiùs Deo vacaret. At ſive Meditationi, ſive Precibus inter prodeambulandum operam dare voluerit, Dominus lætâ Rebeccæ obviam itione benignæ ſuæ Præſentiæ Signum Iſaaco dedit. Jacobus ex Meſopotamiâ revertens propter occurſum Fratris ſui admodum territus eſt, ideóq; Familiâ ſuâ ad minuendum periculum in duas acies diſtri-

distributâ, ac trans Torrentem dispositâ, à suis omnibus se seperavit, solúsq; citra flumen mansit, non ut auditâ clade suorum aufugeret, sed ut ardentiùs precari, & sine Arbitris, Interturbatione, atq; Impedimentis, Mœrorem ac Necessitates suas in Sinum Dei effundere posset. Ejúsque privatæ Orationis, atq; strenuæ cum Deo luctæ præclarus Exitus narratur, Gen. 32. 24, 25, &c. Pro Israelitis crebrò solus & seorsum supplicavit Moses, Deúmq; tandem extrema quæque Populo minitantem Precibus suis quodammodò cohibuit; & si ita loqui fas est, jam jam fulgura vibrantem adeò compescuit, ut Deus ipse dixerit, Dimitte me, ut excandescat Ira mea contra illos, Exod. 32. 10. Psalmis compluribus secreta Animæ suæ cum Deo Colloquia effudit David; nec ita cordi fuisset Domino, nisi tam privatim quàm publicè Precibus vacasset. Venio, inquit, ante Te in primo crepusculo, ut vociferer, Psal. 119. 147. Habeantur apud Te meæ Preces pro Suffitu, & Manuum Extensio, pro Ferto vespertino, Psal. 141. 2. Neque solùm manè & Vesperi, sed septies hoc ab eo factitatum in die, Psal. 119. 164. Atat! quid vices numero? Invoco Te Domine, inquit, totum diem, Psal. 88. 10. Miserere mei qui Te totos dies invoco, Psal. 86. 4. Jeremias de Populi sui & Peccatis & Pœnis in occulto, coram

Deo

Deo ſolo flevit, Jer. 13. 17. Lament. 1. 1. Daniel in Domus ſuæ Cœnaculo, apertâ feneſtrâ Hieroſolymam Verſus, ter quotidiè flexis genibus Deum orare, & collaudare ſolitus eſt, Dan. 6. 10. Feneſtras autem aperuit non vanæ jactantiæ cauſâ, nec ut Chaldæos ſatis Invidiâ ejus incitatos magis laceſſeret, ſed ut Liber Cœli conſpectus ipſum à terreſtribus ſurſum raperet, ac Precandi ardorem excitaret. Jonas ex loco penitus abdito, ex alvo Ceti, ex Orci ventre, ut loquitur, Deo confidenter ſupplicavit, atque benignè exauditus inde evaſit, Jon. 2. 1. Cornelium legimus virum religioſum, & Deum jugiter orantem, per Viſum manifeſtè aſpexiſſe, horâ diei firmè nonâ, horâ ſcilicet Supplicationis, divinum Angelum ad ſe ingreſſum, & ita dicentem, Corneli, tuæ Preces & benignè facta ad Deum aſcenderunt, eíque inſederunt in Memoriâ. Itaque Mitte Joppen & accerſe Simonem cognomine Petrum, qui tibi dicet, quid te facere oporteat, Act. 10. 1, 2, 3, &c. Romanus ille Centurio Numinis metuens, licet Chriſti ignarus, ad unum verum Deum mente devotâ Preces privatas, in domo ſuâ, fundere ſolitus eſt. Ecce autem ut ſic orans Cornelius in veritatem certiùs perduceretur, Deus ei Angelum monſtravit, Angelus Apoſtolum, Apoſtolus Chriſtum. Ac eodem Capite, ver. 9. de Petro memo-

memoratur, quòd aſcenderit in tectum, ſupplicandi cauſâ, horâ circiter ſextâ. Tectum, quod planum erat de more Regionis, locus fuit privatæ Orationi non incommodus. Hic voluit Petrus ſub dio orare, ceu vicinior Numini, tum etiam ſemotior ab hominum ſtrepitu. Eum verò poſt Preces extra ſe raptum, Viſione cœlitùs oblatâ, ne Gentes aſpernetur, Deus inſtituit.

Sunt etiam celebrati in Hiſtoriâ Eccleſiaſticâ Baſilius, Ephrem Syrus, Chryſoſtomus, Hieronymus, Auguſtinus, Bernardus, & alii quàm plurimi ſancti Viri, quòd Solitudines captarent orandi cauſâ. Hiſce ſcilicet privatæ Devotionis Ardor Delicium fuit ſummum, & Præguſtatio quædam futuræ Beatitudinis. Thomas Kempiſius egregius ille divinúſque Contemplator, * pro more ſolito, 'Date veniam, Fratres, aiebat, neſcio quis me præ'ſtolatur in Cellâ, in quam cum eſſet in'greſſus, jucundo perfuſus Horrore, atque 'ad Domini pedes venerabundus accidens, ſic 'ordiebatur. Loquere, Domine, quia audit 'Servus tuus. Quocirca ſi vel ad Jeſu Magiſtri Præſcriptum, vel ad optimorum Hominum Exempla nos componere velimus, non publicis ſolis, ſed privatis etiam Precibus Deum omnis boni Fontem aſſiduè venerabimur.

* *Roſignolius de Actionibus Virtutis*, p. 1.

Prætereà

Prætereà considerare liceat, quot Nominibus ipsi Rationi hoc necessarium esse videatur. Primùm, Mos hic pius Deum in Recessu, & sine Arbitris precandi, non leve est Syncéritatis Indicium, quòd simulatæ Devotionis Suspicionem à nobis amoliri possit. Verùm qui penitùs negligit privatim supplicare, quantumvis sedulò frequentet publicam Orationis Domum, ventosas tantùm Preces illic concipere, Auram popularem captare, & Pharisæorum instar hypocriticâ Sanctimoniæ Ostentatione multos Testes venari, non immeritò censetur. Nisi enim Hominum Opinioni plus deferret, quàm Præpotentis Dei Judicio, Numen ejus occulta videns non minùs in occulto oraret, ac veneraretur, quàm in Hominum cœtibus. In abdito Recessu ubi nulli Testes sunt præter Deum & Conscientiam, vix fieri potest, ut quis fictâ Devotione Pietatem ostentet, quam non habeat. Quorsum enim inanem Sanctimoniæ speciem præ se ferret, si nemo adsit, quem Fuco ejusmodi decipere queat? In publicis precibus ingens sæpenumerò fingitur zelus, ut hominibus conspicuus sit: in privatis syncera Mens, intimiq; Affectus, cum Ardore puro, Numini frequentiùs offeruntur; præsentéque eo solo, ei soli placere studetur. Quæ in penitissimo

Conclavi fiunt Orationes, multis quidem Defectibus aliquando laborant, craſſâ tamen atque tetrâ ſimulatione haud facilè inquinantur.

Deinde Preces privatæ nos aptiores reddunt & magis idoneos ad preces publicas piè devotéque frequentandas. Mens enim totâ die Rerum terrenarum Imaginibus repleta, ac vanis Hominum Colloquiis occupata, non admodum habilis erit, ad divinam Majeſtatem in cœtibus piis caſtè adorandam. Verùm quò ſæpius Deum ſeorſum oras, eò promptiùs ſanctiúſque nomen ejus invocabis, ſtatis illis ac ſolennibus Precibus, quas uno ore unóque animo fidelis Populus adhibet.

Tertiò, Res variæ ſunt, de quibus inter orandum Deum alloquamur oporteat, quæ in ſolennibus ſive publicis Precibus nullum habeant locum, ſed in privatis ſolùm memorari debeant. Particularis Confeſſio, quâ omnia etiam occultiſſima noſtra Peccata, omnéſque eorum Exaggerationes enumeramus, non niſi in occulto coram Deo effundenda eſt. Variæ etiam particulares Supplicationes, & Gratiarum actiones de rebus quæ noſtrî ſolorum propriæ ſint, Seceſſionem exigunt, ac privatam Dei Invocationem. Exempli gratiâ; Excitavit forſan in Te Satanas effrænatorum Affectuum

Affectuum impotentes motus, Odii, Invidiæ, Superbiæ, Ambitionis, Avaritiæ, Libidinis, Iracundiæ, Vindictæ, & alia hujuſmodi, quæ Tela Inimici ignea vocat Apoſtolus. His te, inquam Tentationibus agitavit, nec conſenſiſti; ecce tibi magnum & ſingulare Beneficium, propter quod ſingulares Deo Gratiæ ſeorſum agendæ ſunt. Conſenſiſti, ſed illicò reſipuiſti? Ecce ſecretum Peccatum privatim confitendum, ac Reſipiſcentiæ Donum animo grato agnoſcendum. Non reſipuiſti, cohibuiſti tamen motus animi ne foras erumperent? Quanta hic Occaſio eſt ingrediendi Conclave, Deúmque ſtatim orandi pro ſyncerâ Contritione, Spiritúſque ſancti Auxilio, quo cupiditates tuas pravas, hoc ipſo momento repudias in æternum. Eruperint forſan Affectus indomiti, exarſeris Libidinibus, pravum ſaturaveris animum, expleveris Cupiditates tuas, teipſum effuderis in omni Intemperantiâ. At verò tandem aliquando te momordit Conſcientia, te pupugit metus, tui te puduit, mutaſti Conſilium, animum ſanum recepiſti, ſalutaria tibi Documenta injecit in Mentem bonus Deus, ut ad ea expergiſcereris vel invitus. Emendationem tuam extraordinariis Remediis aliquando molitus eſt; Morbum periculoſum immiſit, ut tu ex animo Mor-

bum Peccati longè periculosiorem depelleres, variásque inflixit Calamitates, ut te ab errore Vitæ reduceret. Alio forsan tempore, cum eò ventum esset ut uno tantùm gradu, Tu Mórsque divideremini, ex aperto illo Vitæ discrimine eripuit Te divina manus, ut te ipse ex Salutis æternæ Discrimine, ac Tyrannide Satanæ tantò ocyùs eriperes. Nonnunquam etiam cum scelera sceleribus cumulares; nihílque Te uno in Deum esset ingratius, tunc te tanquam obsequentem piúmq; remunerans, novis Beneficiis adauxit, ut quem à Scelere non abstraxerit Supplicii Sensus, pudore saltem suffunderent insolita in indignissimum Hominem collata divinitùs Munera. Ad hos omnes & sexcentos alios id genus Casus, Eventúsque particulares, si quando accidant, aut particulares tam gravis noxæ Confessiones cum lacrymis, mœrore, gemitibúsque; aut ardentes Preces pro divino Auxilio tunc temporis necessario; aut Gratiarum actiones pro singulari illâ Dei vel Benignitate, vel Misericordiâ, vel Patientiâ, speciatim accommodari debent. Hoc autem haud fieri potest, nisi in privato Recessu, ubi liberiùs ardentiúsque coram Deo solo vota nostra effundere liceat. In publicis & generalibus Precationum Formulis, Res hujusmodi particulares nunquam recensentur,

ſentur, neq; recenſeri quidem vel debent, vel poſſunt.

Cúmque Solitudo, & Seceſſus ab Hominum Turbâ, plurimùm conferant ad omnem ſeriam & attentam Meditationem; non ſolùm frequentanda eſt publica Precationis Domus, ſed Conclave etiam precaturis ſæpiùs ingrediendum, ut à Populi Oculis remoti, atque vel à chariſſimorum Amicorum Conſortio, ad tempus ſegregati, Mentem ab omnibus Avocamentis, & Diſtractionibus ſolutam ac liberam, faciliùs ad Deum elevare, eúmq; debitâ animi Attentione Devotionéque inſtantiùs & familiariùs invocare poſſint. In publicis cœtibus, ubi tot ſpectamus, & à tot ſpectamur Hominibus, licet aliquam ad preces Devotionem afferamus; multa ſæpius accidunt, quæ Attentioni ſint Impedimento, & Cogitationes noſtras à Deo abducant. Qui autem in Cubiculum ſe abdit, is etiam in Cor ſuum, ſe faciliùs colligere, omnéſque Senſus terrenis Rebus occludere poteſt: adeò ut totâ Cogitatione Numen ſuſpiciat, neminémq; conſideret, præter ſe, ac Deum, ſua peccata, divinámque Bonitatem.

Denique in Locis omnibus etiam ſecretiſſimis ac abditiſſimis, Deum ſanctis precibus veneremur oportet, ut piè agnoſcantur tum

Omnipræſentiæ ejus ac Omniſcientia, tum immenſa ejus Benignitas, qui occulta videt, & in occulto precantibus palam reddet. Hoc Argumento utitur Chriſtus Dominus, & magna profectò atq; potens Ratiocinatio eſt, quæ nos, niſi laudem apud homines, potiùs quàm apud Deum quæramus, ad amorem Precum privatarum vehementer accendat. Quanquam Chriſtiani illi, qui ſine Arbitris, ſine Strepitu & Pompâ, aut ullâ Oſtentatione, ſoli & ſeorſum in receſſu ſuo, ſummo Rerum Conditori juſtum Adorationis Tributum reddunt, nulla fortaſſe nominis celebritate apud Mundum exornantur; Deus tamen Cordium Inſpector, cui nihil occultum abditúmve eſſe poteſt, qui ſecretam ſyncerámque eorum Devotionem, ab aliorum oculis procul ſemotam uſquequaque videt, non ſemper eam tenebris & oblivione tegi patietur, ſed tandem aliquando in apertum proferet, coram Angelis & Hominibus, ad immortalem Gloriam Servorum tam fidelium. Refer Lacrymas meas, inquit David in Utrem tuum, annon ſint in Commentario tuo, Pſal. 56. 8. Quæ in occulto effunduntur Piorum preces & Lacrymæ non in terram excidunt, ſed in Libro ſuo ſcriptas habet Deus, nec unquam eorum Memoria coram ipſo delebitur.

Tam

Tam neceſſariæ ſunt Preces privatæ, támq; utiles Hominibus univerſis. Ad eas autem ſæpius adhibendas, ſpeciatim atque præcipuè tenentur Studioſi ac Literati. Hi in Muſæo aut ſemotâ aliquâ Penatium parte, Solitudinem aſſiduè captant, ut in Literis ſe abdentes Rerum Contemplationi attentiùs vacent: quâ ratione magna eſt illis Precum privatarum Opportunitas, eámque non ſine gravi Crimine negligere poſſunt. Etenim quàm iniquum eſt totum diem Muſis conſecrare, & nullam horulæ partem Deo optimo maximo impartire? Quanti Sacrilegii eſt ſuffurari quidquam temporis ab Officio ſacro, ut in negotium tranſfundatur Literarum? Certè quidem Numen tam in privato quàm in publico veneremur neceſſe eſt; non eſt autem cur ullam rerum Scientiam depereamus, ultra quàm bonæ beatæque vitæ inſervire poſſit. Præterea quemadmodum Deus omnis Boni Fons eſt ac Largitor, ita piâ ejus Invocatione ante omnia opus eſt, ut ad veram Doctrinam, Scientiam & Sapientiam perveniatur. Ille dat Sapientiam, ex ore ejus Scientia & Intelligentia prodit, Prov. 2. 6. Si cui veſtrum deeſt Sapientia, inquit S. Jacobus, poſtulet à Deo, qui dat omnibus affluenter, & ei donabitur, Jac. 1. 5. Ad omnem ſive divinam ſive humanam

manam Sapientiam Deo Magiſtro & Doctore indigemus: neq; juſtâ Reprehenſione carent, qui ſine Precibus ad Patrem Luminum, ullam ſibi veritatis Lucem, ullóſve in bonis Literis profectus ſpondere audeant. Si Artium etiam Mechanicarum Scientia ad Deum Auctorem referri debet, ſicut ipſi Gentiles ductu Naturæ coacti ſunt fateri, & in Tabernaculi Moſis, ac Templi Solomonis Structoribus Scriptura ſacra teſtatur; quantò magis illarum Scientiarum Acquiſitio, per quas aut Societates humanæ continentur, ac reguntur, aut corpori humano ſua Sanitas, aut Animæ humanæ æterna Salus procuratur. S. Bernardus ſolebat dicere omnes ſe quas ſciret Literas, in Sylvis & in agris didiciſſe, non Hominum Diſciplinis, ſed Meditando & Orando. Atq; certè multò nobilior eſt illa Doctrina quæ piis Precibus impetrata ſupernè manat è divinâ Lucis omnis Scaturigine, quàm imperfecta iſta Scientia, quæ naturalibus mediis ac humani Ingenii Viribus, ingenti cum Applicatione laborioſè quæritur. Denique ſive ad Scientiam, ſive ad Virtutem, ſive ad quid aliud pulchrum aſpiramus, Preces fervidæ, quibus Benedictio divina imploretur Laboribus noſtris atque Conatibus ſemper ſunt adjungendæ. Etenim ad quamcunque rem nos accin-

accingimus, nullus poteſt eſſe penes nos ſucceſſus, abſq; illius Auſpiciis, in quo vivimus, & movemur, & ſumus.

Quiſquis verò piis ſanctiſq; Precibus apud Deum aſſiduè contendit, ſive interna, ſive externa bona petat, modò in rem ſuam cedant, ac divinæ Voluntati ſint conſentanea, ille utique non fruſtra erit. Qui Deum orat ut interna ſibi bona * largiatur, veram putà Scientiam, in primis Sapientiam, ac Virtutem, eo ipſo animum ſuum aperit ad accipiendam divinam Lucem & Gratiam, quæ in cor ſuum pro Suſpiriorum Profunditate, & Devotionis Fervore magis minúſve influunt; non aliter quàm Lumen Solis in apertos oculos intromittitur. Porrò quantum ad bona externa; cum Deus non ſolùm videat, ſciat, & contempletur ſimul omnia, omnéſque in Orbe cauſarum ſeries Sapientiſſimè conſtituat, atq; tum naturalia tum libera Agentia potentiſſimè regat, nemo qui eum ritè oret, illius obtinendi, quod ſibi optimum ſit, Spe poteſt excidere, etiam in rebus externis.

* *Vide V. Cl. Hen. Mori Dialogos.*

Verùm haud paucorum Querelas audire videor, qui piis ſuis Devotionibus ſudantes, gementéſque, diu exerceantur ſine ullo manifeſto Profectu, nec fiunt vel multò Sapientiores,

entiores, vel meliores, licet tales fieri ſyncerè cupiant, & precibus ardentibus petant: id quod ægrè ferre ſolent, quando ſuppliciibus ipſorum Votis Deus non continuò præbet aurem, nec ſtatim valde conſpicuum apparet divinum ejus Auxilium, ad vias Religionis ac Pietatis magis faciles illis reddendas.

His ita reſponderi poteſt; Difficilè quidem eſſe nobis, quorum mortale corpus animum gravet, obruátque Mentem terreſtre vas, etiam cum omnibus Studiis Precibúſque noſtris ad ullum laudabilem Sapientiæ, Puritatis, Bonitatíſque gradum citò pervenire. Hanc verò ullam realem eſſe Benignitatis divinæ maculam, quaſi unquam Orationes pias aſpernaretur, nemo cenſebit, qui penitiùs in rei naturam introſpicere velit. Primùm rebus in allis haud indecorum exiſtimamus, ut quæ ſummi pretii ſint, pari Labore ac Difficultate acquirantur. Deinde complures meminerint Deum ſæpe vocantem audire ſe recuſaſſe; ac Juſtitiæ divinæ eſt, ut ipſi clamantes non ſtatim ad lubitum ſeſe à Deo exaudiri ſentiant. Tardus noſter in Virtute Profectus, licet nunc ad eam etiam cum Precibus & Lacrymis aſpiremus, merita forſan Pœna eſt

Pecca-

Peccatorum præteritorum, in quibus qui diu commorati ſint, non ſine longâ & laborioſâ Exercitatione ex iiſdem evadunt. Præterea qui divinam Lucem & Gratiam ardenter petunt, nec ullum inde Fructum percipere videntur, ſe ipſos explorare debent, an ritè probéque inſtituendæ Orationis Leges omnes diligenter obſervent. Scilicet, An prodeant in Conſpectum Dei ſummâ cum Animi Corporiſque Demiſſione, pravitatem ſuam ac inopiam verè ſentientes, ac ſeriò cogitantes, iis quæ rogant ſe maximè omnium indigere? An ita proſtrati & ſubacti verâ Humilitate, nihilominùs ad Deum accedant cum Fiduciâ piâ, minimè dubitantes, quin tandem aliquando, ea quæ poſtulant ſibi adipiſcantur, ſaltem quatenus ſint ad Salutem neceſſaria? An inter precandum ex animo credant, Deum æquè volentem eſſe ac potentem ad opitulandum eis omnibus, qui eum ſyncerè quærant, ſeq; per illius Gratiam capaces fieri poſſe debellandi omnes Affectus ſuos pravos? An in Precatione vigilent, & ſedulò caveant, ne Animus pravas aut inopportunas Cogitationes admittens huc & illuc divagetur, & è cœlo detractus in terram deprimatur? An Preces ipſorum cum Charitate & Eleemoſynâ

moſynâ fuerint conjunctæ? An Petitiones ſuas omnes in Nomine Jeſu Chriſti unici noſtri Mediatoris Deo offerant? An cum Petitionibus eorum connexæ ſint, tam Peccatorum quæ admiſerint Confeſſiones, quàm pro divinis, quæ acceperint, Beneficiis Gratiarum Actiones? Denique an in Precibus conſtanter ac indeſinenter perſeverent? Quanquam enim, ad Impetus primos non adeſſe videatur Deus, nec præſentem opem adferre, non ſtatim abjicienda eſt Spes omnis exorandi; nedum propterea ab orando deſiſtendum eſt. Quin potius Aſſiduitate Orationis, ac indefeſſâ Petitionum Perſeverantiâ inſtare oportet, donec continuatis Precibus divinam Benignitatem quodammodò expugnemus.

Sine dubio plus vult Deus dare, quàm nos accipere. Plus vult ille ignoſcere, atq; miſereri, quàm nos vel à Peccato, vel à Miſeriâ liberari. Exauditionem autem aliquando differt, ut ardentiora in nobis excitet Vota, Fidémque & Conſtantiam probet: ſiquidem illa demum Fiduciæ noſtræ ac Synceritatis, integríq; erga Deum Amoris eſt idonea Exploratio, ſi nos Repulſam ſæpius paſſi, adhuc Precibus perſiſtere deprehendimus. Qui ſuſpenſis Deſideriis conſtanter

ſtanter expectant Dominum, atque in Oratione perſeverant, etiamſi non videant, quid orando profectum ſit, illi apud ſe vel hinc certi eſſe poſſunt, ſe bonâ Fide agere, ac poſt difficilem Luctam Palmam tandem reportaturos. Abſit igitur, ut deficiamus, ac Deſperatione concidamus, ſi ad prima noſtra Vota Deus aurem facilem non præbeat, ſed diuturnis ac iteratis Precibus eum ardentiùs imploremus; & tandem aliquando fœliciter exorantibus, divina Gratia quæ tam ægrè obtinetur, eò majoris Pretii erit, quò longiori Morâ, Labore, atque Ardore acquiſita eſt.

SACRA

BRITISH
8 JY 78
MUSEUM

SACRA PRIVATA.

PARS ALTERA.

CONTINENS

Varias PRECES,

Literatorum (imprimis junio-rum) Pietati augendæ deſtinatas.

LONDINI,

Typis J. LEAKE, Impenſis autem *Gualt. Ketilby* ad Inſigne Capitis Epiſcopi in Cœmeterio Paulino, 1699.

BRITISH MUSEUM

Reverendo admodum in Chriſto Patri,

JOANNI

Epiſcopo NORVICENSI,

Domino ſuo perpetuùm colendo.

QUanquam me non fugit, Honoratiſſime Præſul, Libros Devotionem ſanctam præ ſe ferentes, maximè omnium abhorrere ab iſtis verborum Blanditiis, quibus paraſiticæ Dedicationes Magnatum gratiam aucupari ſolitæ ſint: liceret tamen hic mihi citra omnem Adulationis Suſpicionem, eximias Mentis tuæ Dotes Veritati aſſerendæ, ac Religioni propagandæ conſecratas; Amorem tuum, Ardorémque ſingularem, in Pietatem & Pios, in Literas & Literatos; Prudentiam non vulgarem;

ſuavem Morum Comitatem, cæteráſque Virtutes tuas præſtabiles, celebrare; ſi modò facultas ſuppeteret, nec in tantis vel meritiſſimis Laudibus temperare mihi me juberet, tam Modeſtia tua, quàm Tenuitas mea. At verò non poſſum quin commemorem Benevolentiæ in me tuæ Magnitudinem Variáq; tua quibus affectus ſum Beneficia, & meritis & votis noſtris antecedentia. Nec turpem Ingratitudinis notam effugiam, niſi publicam hanc debiti mei erga Paternitatem tuam Cultus ſignificationem extare curem.

Digneris igitur, Reverende Præſul, officioſam meam in Te compellando παῤῥησίαν in optimam partem clementiſſimè interpretari, atque has Precum Privatarum Formulas, ſub benigno tuo Patrocinio, in lucem prodire ſinas. Iſtis utique ſicut Deum ſuppliciter ac demiſsè veneratus ſum, ut omnes Eccleſiæ noſtræ Epiſcopos iis Spiritus ſui

Donis

Donis indies augeat, quibus tanquam Viri Gravitatis Apoſtolicæ Clerum inferiorem & Populum, in pium Obſequium trahentes, Munus ſuum ſanctiſſimum, tum perfectè adimplere, tum etiam ornare & condecorare poſſint; ita pro Te, qui peculiari jure mihi præes, ut in Gregibus tuis paſcendis, gubernandiſque, omnia ſumma conſequaris, dones confecto curſu, ad ſedes beatiſſimas tranſlatus fueris, majorem in modum deprecor,

Reverende Præſul,

Paternitatis tuæ

Obſervantiſſimus

JOANNES GRAILE.

☞ Precum ſequentium ſive Matutinarum ſive Veſpertinarum prima ut plurimum Confeſſio eſt, ſecunda eſt Oratio pro Gratiâ & Tutelâ, tertia Gratiarum Actio, quarta Interceſſio; licet conjunctim aliquoties una earum cum alterâ contexatur.

SACRA

SACRA PRIVATA.

PARS ALTERA.

Die Dominico, Preces Matutinæ.

I.

ÆTERNE Deus, qui omnem vitam, beatitudinem, gloriam in Te, & à Teipſo habes; cujus inexhauſta bonitas toti Naturæ, atque adeò huic noſtræ, quicquid inſit boni, liberaliter impertivit. Tu Mundum hunc pulcherrimum hominis, hominem verò tuâ unius gratiâ, tuámque ad ipſius imaginem condidiſti, ut cognitione, juſtitiâ, & ſanctitate locuples, Tibi morem gereret, Te Creatorem Dominúmq; ſuſpiceret, & imperium haberet in creaturas.

Quinimò juxta decretum tuum Mundus iſte homini inſervit. In univerſâ Cœli Terræque fabricâ videre liceat, conſtantes, perpetuas, ac numeroſas rerum ſpecies, ex quibus

nihil non muneri ſuo invigilat, nihil non ſtationem ſuam tuetur. Nos homines ſoli officio devii ſumus, à Te Deo noſtro alieni, nobiſmet ipſis peregrini. Nos qui pluribus nominibus tenemur, minùs de ſolvendo cogitamus, imò ſolvendo non ſumus. Nos quorum gratiâ ſumma quæque exiterunt, rerum infimarum ſumus admiratores, rerum nihili mancipia & ſervi, erga Te ingrati, naturæ violatores, ipſi nobis hoſtes.

Unum verò de Gente humanâ meipſum ſcilicet maximè omnium accuſare debeo. Me condidiſti excellenti animo, ratione ac libertate prædito. At at quantus quantus ſum, miſerrimâ naturæ meæ depravatione flagitioſus ſum peccator, nec ipſam noxæ meæ magnitudinem, aut mente aut linguâ aſſequi poſſum. Tantam enim in me mali abyſſum agnoſco, & fateor, ut ſenſum quoque meum ſuperet; atque certè quidem ſi me dumtaxat ipſum intuerer, & quæ meritis meis digna ſit conditio mecum reputarem, nihil bonæ ſpei eſſet reliquum, ſed à Te abjectum perpetuis atq; intolerandis miſeriis premi me neceſſe eſſet.

Tu verò, benigne Deus, pro immenſâ tuâ bonitate & clementiâ, miſeris peccatoribus ſuccurrere voluiſti, eóſque miſâ liberationis ratione, per unigenitum filium tuum, magnum

num illum Redemptorem, à tam dirâ calamitate eripere, ſi verè pœnitentes ſolidâ fide miſericordiam hanc amplectantur, & conſtanti ſpe firmati acquieſcant. Eam pœnitentiam, fidem, ſpem, divini Spiritus virtute, mihi, quæſo, ingeneres, ut redeunti ad bonam frugem, aliquis ſit tuâ in miſericordiâ locus, quò veræ fœlicitatis capax fiam, perfunctúſque hujus vitæ erga Te officiis, ad cœleſte Sabbathum evehar, per Jeſum Chriſtum, Dominum noſtrum. *Amen.*

II.

O Deus, Pater Luminum, omníſque boni fons, ſupplici tuo famulo concedas, precor, in luce tuâ lumen ut videat. Intellectum meum & voluntatem, ita præveniat, adjuvet, & comitetur cœleſtis tua gratia, ut neque cæcus ſim, neque claudus in iis, quæ ad ſalutem meam ſpectant; ut Evangelii doctrina, quæ odor mortis eſt rebellibus, qui adverſùs illam ſemet ipſos obdurant, mihi eam animitùs amplectenti odor ſit vivificus. Dum Spiritus tuus externâ verbi prædicatione, veluti canali ac vehiculo utitur, fac ad intimos animi ſenſus perveniat, judiciúmq; inſtauret, ut ad magnum Salutis noſtræ Myſterium cognoſcendum ſim idoneus, tanquam Dei Sapientiam

entiam approbans id ipſum, quod caro habet pro ſtultitiâ, ardentique ſtudio mihi applicans remedium illud unicum in Jeſu Chriſto oblatum, adverſus deſperationem & damnationem.

O mi Deus, mi Deus, propter tantam Filii tui victimam propitius eſto mihi tam atroci Peccatori, qui ex animo reſipiſcens, & in Chriſtum credens, immortales Tibi gratias ago, pro clarâ in ſacris Literis patefactione ingentis illius, inſcrutabilis, atque omnibus modis admirandi arcani, de unigenito Filio tuo, pro ſalute noſtrâ, incarnato, paſſo, crucifixo, mortuo; à mortuis reſurgente, aſcendente ad Cœlos, ſedente ad dexteram tuam, ut pro nobis jugiter intercedat.

Mentis meæ oculos ita precor aperias, ut ſacris illis Scripturis aſſentiar, non ore tenus, non frigidè, non hæſitanter; quin certo & confirmato animo eas omnes veritates complectar, quæ panduntur his Literis, quas cœleſte tuum Numen inſpiravit, ſancti Prophetæ & Apoſtoli prodiderunt, Martyrúmq; ſanguis comprobavit.

Inflammes, obſecro, animum meum vero pietatis ardore, flagrantique ſtudio Templum tuum adeundi, & in grege tuo verſandi; ut, quam mihi hoc ſancto die benigniſſimè indulges, libertatem facultatémque nominis tui

purè

purè invocandi, verbíq; tui audiendi, cæteris omnibus meis & commodis & ornamentis gaudíiſq; longè anteponam. Nec patere hujus mundi Vanitatem in me ita dominari, ut vel præpediar, vel abducar ab exercendis, colendíſque rationibus iis, quas Tu in manibus meis poſuiſti; ſed eâ viâ, quæ ad Vitam æternam ducit progrediar. Dum homines ſuperbi, & falſam de ſe opinionem habentes, non magni faciunt hanc pietatis exercitationem, & conſuetudinem divinitùs inſtitutam, ut ad Numen tuum religioſè colendum Fideles unum in locum conveniant; fac ut ego, etiamſi nihil eſſet aliud niſi tua ipſius ſanctiſſima inſtitutio, in eâ tamen libenter acquieſcam, benignitatem tuam grato animo agnoſcens, quod eâ ratione tam humaniter noſtram infirmitatem fovere, atque ſuſtentare velis; ut ad me tandem ex eâ redeat uberrimus præſtantiſſimúſque pietatis fructus: ut fide, timore Tui, ſanctitate, mundi contemptu, & amore vitæ cœleſtis confirmatus, omnia præcidam ſtulta, leviáque deſideria, quibus in hoc mundo retinear, terreſtréſque omnes, quæ me à Te abducunt, cupiditates ex animo meo penitùs convellam, atque extirpem.

Faxis ut promptior ſim ad omnia vel maxima pericula obeunda, quàm ad minimum per-

perpetrandum peccatum; ut ſive de libertate, ſive de honore, ſive de opibus, ſive de cæteris vitæ commodis in diſcrimen vocer, paratior ſim iſta omnia negligere, & contemnere, quàm miſſa facere quævis munia Tibi debita. Doceas me in rebus proſperis & ad voluntatem meam fluentibus, fugere ſuperbiam, faſtidium, arrogantiam, necnon in malis & anguſtis omnem de ſorte meâ querelam; ut res tam adverſas, quàm ſecundas moderatè feram, præclaráque ſit æquabilitas in omni vitâ, & idem ſemper vultus eadémq; frons. Cúmq; mors quotidiè immineat, ne ſic vitam inſtituam, ut qui multa eſſem annorum millia victurus; ſed uſquequaque mortis memor, omnia ita agam & cogitem, quaſi jam nunc Vitam in exitu eſſe arbitrer: Tibi enim, non mihi ipſi, & vivere, & mori cupio, ut tam in vitâ quàm in morte Tibi acceptus ſim, per Jeſum Chriſtum Dominum noſtrum. *Amen.*

III.

BEnigniſſime Deus, qui pro immenſâ tuâ & per rerum univerſitatem diffuſâ clementiâ, omnium hominum miſereris, dignare, quæſo, Gentibus etiam remotiſſimis ſacroſancti Evangelii lucem patefacere, totíque Terrarum Orbi Gloriam tuam. Effice imprimis, ut Regi-

Regibus, Principibúſq; Europæis ea placeant Conſilia, quæ Paci communi, reíque Chriſtianæ fœlicia fauſtáque ſint. Vindica miſerum populum ab iis Tyrannis, qui præ imperiorum, honorum, gloriæve cupiditate, omnia jura divina & humana pervertunt. Componas inquieta hominum pectora, ut in communi quàdam concordiâ fœliciter conſpirent: nec ſinas Chriſtianum Orbem luctuoſo iſto belli furore conflagrare, qui non ſolum ejuſdem naturæ participes, ſed & ejuſdem fidei Profeſſores contra ſe invicem læthaliter armat. Eccleſiæ tuæ Præſes eſto & Defenſor, medicámq; manum adhibe graviſſimis iſtis, tàm opinionum, quàm morum portentis, ac peſtibus, quæ hodiernum ejus ſtatum labefactarunt, atq; peſſum dederunt.

In noſtrâ hâc Gente veram Religionem ſartam tectam conſerva, leges & jura tuere, avitúmque Regimen protege. Sereniſſimum Regem, prudentiâ, juſtitiâ, fortitudine, omnibúſq; præſtantiſſimis donis condecora. Largiaris illi ſtabile Regnum, conſtantem victoriam, perenne in Terris nomen, & vitâ præſenti fœliciter deactâ ſempiternam in Cœlis Fœlicitatem. Ament Patriam Magiſtratus, pareant Regi & legibus, conſulant bonis; juſtâq; animadverſione coerceant malos. Epiſcopi ſint homines gravitatis Apoſtolicæ, Chriſtianæ

ſtianæ perfectionis Exempla. Ornentur Sacerdotes tum Doctrinâ purâ, tum ſanctis moribus, munere ſuo ritè defungentes. Latior indies & quæſtuoſior ſit mercatura noſtra, per varias Mundi regiones diffuſa; at ne ſit in iſtâ fœlicitate ſuâ, adeò infœlix ut cum opibus importet peregrina longè vitia. Vigeant Artes in Academiis, in Foris, in Officinis; diteſcant Incolæ; Juſtitia ex præſcripto Legum adminiſtretur, nec debitam effugiat pœnam, qui per injuriam re aut vitâ alium ſpoliat.

Aſſere, quæſo, Clementiſſime Pater, Oppreſſos & inopes, mœſtos conſolare, ſana ægrotos, afflictos & animo pauperes recrea, humiles erige, laborantes ſubleva, miſeriæ ſuæ ſenſu dejectis veniam, opem, ſubſidium indulgeas, ut ex difficultatibus liberati Te Deum ſalutis lætâ voce celebrent, per Jeſum Chriſtum Dominum noſtrum. *Amen.*

IV.

OMnipotens Deus cujus Nomen glorioſum in cœleſti Sanctuario à beatis mentibus perpetuò celebratur, quod eò poteſt ab illis luculentiùs fieri, quò tuæ Majeſtatis arcana & propiùs, & clariùs intuentur: accipere, quæſo, ne dedigneris vel iſtas imperfectas

ſectas Laudes, quæ à nobis mortalibus Tibi offeruntur. Immenſa tua bonitas, ſummáque erga omnes merita ab omnibus quidem cùm in cœlis tùm in Terris, quo fieri poteſt modo, extolli, collaudari, decantari debent.

Quòd verò ad me attinet, quem à tot malis exemiſti, tot beneficiis locupletâſti, utinam vitam omnem in Te celebrando conſumam, & quandiu ſuperſtes ero Laudes tuas prædicem. Imprimis autem Tibi, Domine, benedico, quòd me rebellem homuncionem, per peccatum mortis æternæ reum, & ſub peſſimâ vitiorum ſervitute miſerè jacentem, ex merâ tuâ gratiâ ac miſericordiâ, per Jeſum Chriſtum à reatu iſto liberare, & in ſpem Vitæ æternæ reſtituere, viréſque mihi ſufficientes ad peccati Dominium excutiendum, & divinæ tuæ Voluntati toto corde obſequendum, ſuppeditare volueris.

Cúmque me nunc ad Domum tuam benignè invites (quo privilegio nihil ex omnibus rebus, quæ mihi à Te in hoc Mundo tribuuntur, aut prius aut antiquius habere debeo) ſupplex, Te precor, ut divino Spiritu adjuvante, glorioſam tuam Majeſtatem in publico Fidelium cœtu, caſtè piéq; adorem, nomen tuum ſanctè invocans, ſtatis illis Precibus, quas uno ore, unóque animo populus ad Te tuus adhibet, verbum tuum ſummâ cum veneratione

tione ac reverentiâ audiens, omniáque ejus monita altâ mente, imíſque præcordiis defixa tenens, ut ad ſacram illam perfectámq; normam vitæ meæ actiones exigam, & mandatis tuis obſervandis ad extremum uſque halitum totus incumbam. His indigniſſimi tui famuli deſideriis ac votis, aurem præbeas, Domine, non propter merita mea, quæ nulla ſunt, ſed propter Teipſum, propter infinitam tuam benignitatem, miſericordiam, amorem, atque propter merita Filii tui, cui omnis poteſtas & in Cœlo, & in Terrâ à Te demandata eſt. *Amen.*

PAter noſter qui es in Cœlis, ſanctè colatur Nomen tuum. Veniat Regnum tuum. Fiat voluntas tua, ut in Cœlo, ſic & in Terrâ. Victum noſtrum alimentarium da nobis hodie. Et remitte nobis debita noſtra, ut & nos remittimus debitoribus noſtris. Neve nos in tentationem inducito, ſed à malo tuere: quoniam tuum eſt Regnum, & Potentia, & Gloria, in ſempiternum. Amen.

Die

Die Dominico, Preces Veſpertinæ.

I.

GLorioſe Deus, qui Cœlos incolis, ſanctorum Spirituum innumerabilibus ſtipatus turmis; cujus ea eſt vita, quâ nihil beatius, nihil omnino bonis omnibus affluentius cogitari poteſt. Velim equidem ita animum inſtituere, ut Te ritè apprehendam, & perpetnò agnoſcam, reverear, adorem, non ſine ſancto tremore, ſolicitóque divinæ tuæ approbationis ſtudio. At verò ſummi Numinis certæ, juſtæ, lucidæque notioni animum meum comperio nimis imparem, atque errori admodum proclivem. De glorioſâ tuâ Majeſtate cogitaturus, difficillimum ſentio cogitationes meas vel rectè collocare, vel ſic locatas figere demum & ſtabilire. Nunc ſane neceſſe habeo queri de nimiâ cordis anguſtiâ, quâ fit ut Divinitatem immenſam, intra quoſdam quaſi terminos impotenter coercere videar; nunc autem de inerti quadam animi vacuitate, triſtíq; incogitatione; nunc de ignorationis tenebris; nunc de falſâ vani intellectus luce, perperam mihi Deum referente.

Tu

Tu verò, Pater Luminum, à quo petenda, expectandáque est omnis vera irradiatio, animo meo imprimas, quæso, debitam aliquam (pro captus mei modulo) Divinæ tuæ naturæ apprehendendæ rationem, ut puræ, sanctæ, constantérque admirabundæ menti meæ usque insideant de illâ cogitationes, quales tantam deceant gloriæ immensitatem, quales dignæ sint universitatis rerum Opifice, non solum bono, justo, sapiente, potente, sed ipsissimâ Bonitate, Justitiâ, Sapientiâ, Potentiâ.

Atat! dum hanc tuam suspicio infinities omnium Augustissimam Majestatem, sese quaquaversum fundentem, glorioſis ubique enitentem radiis, præ quibus cuncta planè sordescunt; dúmq; vicissim oculis meipsum perlustro, abjectissimum homunculum, qui tamen tantum Deum contumeliis afficere, tantíque Regis mandato contravenire ausus sim, fieri non potest quin vehementer doleam, angar, erubescam, vultúmque tristem pudibundè demittam, gravissimâ cum animi ægritudine deplorans insaniam meam, à quâ tam immensa Bonitas neglectui habita, Potentia tam incomparabilis irritata fuerit.

Quanto enim augustior est divinæ tuæ Majestatis Dignitas, tanto immanius meritò audit peccatum meum. Huic etiam accedit,

quòd

quòd Te præsentem quoque & coram illudere non reformidârim; Te, qui ubiq; es, nec ullo loco inclusus, nec exclusus; Te, cui obscurum nihil potest esse, sed qualis quisque sit, quid agat, quâ mente, quâ pietate colat Religionem semper intueris, piorumq; & impiorum habes rationem.

Intoleranda, fateor, audacia mea fuit, quam oculus tuus omnia penetrans non deterruit. Nec tantâ audaciâ tantâque impudentiâ minor fuit ingratitudo, non solùm injuriosa supremo Domino, qui res universas inspicit, dirigit, gubernatque, sed etiam Optimo Parenti, à quo victum, vestitum, aurámque vitalem accepi; cui debeo nominibus infinitis. Etenim Tu me Matri in utero, me mihi tot annis dedisti, dáſq; toties, quoties respiro. Nunquam non à Te pendeo protegente, conservante, manibus tuis sustinente. Quot sunt Capitis capilli, tot paternæ tuæ sunt in me curæ: quot horas, quot momenta transigo, tot beneficiis tuis fruor. Attamen nihilominus, Tibi tam bene merenti tam malam reddidi gratiam, ut cum beneficiis tuis innumeris innumeræ meæ contenderint iniquitates. Quod cum ita sit, & satis constet me infinitis sceleribus esse co-opertum, quid aliud mihi meritò expectandum, quàm quæ peccati stipendium est Mors æterna? Si me

quidem in jus duceres vel de hodiernis solummodo delictis, nihil quicquam mihi objiciens præter istam vaniloquentiam, vanasq; cogitationes, quibus hunc sanctum diem pollui, triste in me supplicium constituere posses.

At propter divinum & immortale Meritum Sanctissimi Jesu, qui sontium nomine sese divinæ tuæ justitiæ puniendum exhibuit, & infinitæ Majestati tuæ infinitâ suâ obedientiâ satisfecit, ita quæso deleantur, atque expungantur omnes iniquitates meæ, ut in rationem coram Te nunquam veniant. Commonefac etiam me per Spiritum tuum Sanctum, de Christi morte ac resurrectione, ut certa & indubitata de iis persuasio altissimis animo radicibus hærens, efficiat in me nativæ labis Mortificationem, veteriq; istius hominis sepulturam, novi autem hominis resurrectionem; quò intelligentia mea divino lumine illustrata, quæ Tibi placeant, videat atq; probet; voluntas corrigatur, & confirmetur ad peccatum fugiendum ac justitiam amplectendam; universæ denique facultates vitent quod vetuisti, & quicquid præcepisti sectentur, ad magni tui Nominis gloriam, per eundem Jesum Christum Dominum nostrum. *Amen.*

II.

NON quantas par est, Pater Clementissime, sed quantas animus meus percipere potest, gratias Tibi amplissimas ago, quòd ad humani Generis salutem procurandam de Cœlo demiseris magnum illum Sequestrum, Filium tuum unigenitum, non nisi omni honorum genere cumulatum, cunctis Potentiæ Titulis clarum, Autoritate maximè augustâ insignitum, ne deesset idoneus Liberator, qui tanti moliminis opus mortales vires longè superans aggrederetur. Nomen tuum celebretur in æternum, quòd à summo illo ac pientissimo Sacerdote infensum nobis peccatoribus Te conciliari, quòd à Rege illo potentissimo, nobis acerbè reluctantes, spirituales hostes debellari, quòd à Prophetâ illo divinitùs illuminato diu obductas animis nostris errorum tenebras discuti volueris; denique quòd jussu tuo promulgatum sit sanctum Evangelium, fœlix ille nuncius, quo pro tuâ singulari ac incomprehensibili bonitate hominibus testatus es, fore ut qui Christum per fidem amplecterentur, eiq; morem gererent, Vitæ æternæ fierent participes.

Cum autem optatus ille nuncius olim ab Apostolis ac Evangelistis Mundo patefactus,

atque ſummâ fide velut in publicas Tabulas relatus, nunc in ſanâ & ſincerâ ejus prædicatione apud nos quoq; explicatus ſit; cúmq; hodiè ad Domum tuam, Verbíque tui auditionem me admiſeris, da, quæſo ut genuinus ejus ſenſus ritè perceptus in animo inſculpatur, trabalíque clavo memoriæ infixus conſervetur ad veros reſipiſcentiæ fructus per fidem edendos.

Utinam ſemper meminero me, cum hominem, tum Chriſtianum eſſe, ut eligam agámq; quod conſentaneum ſit hominis excellentiæ, in eo in quo natura noſtra à reliquis animantibus differat; imò ut quòd Religione dignum ſit Chriſtianâ, quam Filius tuus homines edocuit omni animi impetu & conatu inſecter. Nec coram Te, qui plus es quam Teſtes mille, minori curâ vitam inſtituere audeam, quàm ſi omnes omnium Oculi in me perpetuò conjicerentur, atq; in dicta factáque mea, quid loquar, quid agam, quemadmodum vivam inquirerent.

Nolim hujus mundi opibus cineri & fumo proximis, nolim vanis honoribus, ac perituris voluptatibus immortalem mentem illigare. Quin animam meam æternitati natam contemplatus, méque quantuluſcunque ſim, deciduam eſſe quandam, quaſi magni Numinis particulam, dignas divinâ meâ Origine, dignas

nas æternitate meâ cogitationes ſuſcipere cupio, uni Tibi, Deus, me totum dicans, ſalutíque animæ incumbens.

Largire mihi Prudentiam, integritatem, gravitatem, laborum tolerantiam, animum ſuâ ſorte contentum, pauca deſiderantem, liberum, placidum, à curioſitate & nugis alienum, nobili altitudine præditum, cœleſtia ſapientem. Inſtrue, dirige, adjuva me in omnibus, ut nihil agam, nihil loquar, nihil cogitem, niſi quod Tibi ſit acceptum. Quicquid hodiè ſacrorum monitorum vel audivi, vel legi; quicquid virtutum, piorúmq; affectuum, in libris, aliíſque monumentis deſcribitur; quicquid fieri poteſt Tibi gratum & acceptum, id omne approbo & volo, & ſub gratiæ tuæ auſpiciis perficere cupio.

Non meus ſum, Domine, ſed tuus, Tibi conſecratus ac dedicatus. Nolo igitur, ut vel ipſa ratio, vel voluntas mea, meis in conſiliis factíſque dominetur; ſed hoc unum à Te contendo, ut actionibus meis cunctis præſideat Sapientia tua, tuáque voluntas; ut nihil ſapiam nec velim per meipſum, ſed Te præeuntem duntaxat ſequar; menſque mea, me non eſſe meum edocta, propriæq; carnis ſenſu & amore vacua, ſe ad Spíritus tui nutum tota convertat; ut denique quoad licet, obliviſcar ipſe me, ac mea omnia, Ti-

bique ſoli & vivam & moriar, per Jeſum Chriſtum Dominum noſtrum. *Amen.*

III.

PRæbeas aurem, benigne Deus, tenui tuo famulo, qui non me ſolum omnium indigniſſimum Clementiæ Divinæ commendatum cupio, ſed amicos omnes ac neceſſarios meos, imò & omnes ubique Gentium viros bonos, qui ſeſe ad rectæ rationis, legíſq; naturalis normam componentes, Te ſancte colant, & erga homines juſtitiam conſervent. Ne ſinas, ut eorum virtutibus Sæculi malitia labem inurat, aut vitiorum contagio mores inficiat; quin contra graſſantem undiq; impietatem ſumant animos, & quibus cœlitus illuminantur radiis ſe dignos fingant. Adſis præſertim Chriſtianis hominibus qui Jeſum imitantur, eúſque perpetuo tui Spiritus afflatu impertire digneris, ut quem ardenti virtute, & ſanctitate laborioſâ in terris glorificant, Te tandem in cœlis beatè fruantur.

Eccleſiæ tuæ ſemper præſint, Paſtores, & Doctores, qui contra omnes omnium oppugnantium Vires veritatem pertinaciter aſſerant, ejúſq; propagationi, diurnos ſuos nocturnóſq; labores geſtiant omni vitâ conſecrare. Reges & Principes Terrarum animo imbuas ad fi-

dem, ad justitiam, ad clementiam propensissimo, ut ubi potestas summa est, ibi æquitatem quoq; summam omnes videant. Serenissimum nostrum Regem diu florentem tueri, omníque benedictionum genere locupletare, ac Spiritu tuo gubernare ne desinas, donec confecto cursu in Regnum Cœleste è terrâ migrans, compositum hic Reipublicæ statum, subditósque suos lætâ tranquillitate fruentes relinquat. Ea Senatoribus nostris maximè consilia placeant, quæ cum tuâ Gloriâ, atque hujus Regni pace salutéq; videantur esse conjunctissima. Sint Episcopi, Presbyteríque non solum omnifariâ sacrarum Literarum Scientiâ instructissimi, sed etiam piâ morum præditi gravitate, imprimis verò immenso erga Te Zelo, erga Ecclesiam tuam charitate flagrantes. In Templis purè ac incorruptè doceatur Religio; in Academiis omnium artium ac linguarum studia floreant, vigeant, longè latéq; colluceant; in Curiis summa habeatur justitiæ ratio; in societatibus, tutelis, fiduciis, rebus emptis, venditis, conductis, locatis, omnia fiant ex fide bonâ; astutiæque tollantur eáque malitia, quæ videri quidem se esse prudentiam vult, sed abest ab eâ distátque plurimum. Esto Tu, Domine, derelictorum Tutor, & pupillorum Defensor, sis præsidio tenuibus, inopum Vota exaudias, nec sinas ut

perpetuò ſint in oblivione pauperes. Confringe verò improborum ac ſceleratorum robur, ne deinceps ampliùs crudeles iſti graſſentur homines. Miſerere denique afflictorum omnium, & unicuíque laboranti pro Variis ſuis neceſſitatibus opem ferto. Ita Te, Domine, ſemper collaudaturus ſim, ob univerſalia quibus univerſum genus humanum, ob ſpecialia quibus Eccleſiam, ob particularia quibus meipſum atque meos affeciſti beneficia; pro quibus omnibus tam præſentibus quàm futuris immortales Tibi gratias agam, eorúmq; nullo unquam tempore obliviſcar. Jam verò in fidem & clientelam tuam me recipias, ab omnibus hujuſce noctis periculis vindica, alternâ requie inſtaurato, ut manè non gravatim à ſomno ſurgam, ſed omnem ſegnitiem, & ſocordiam abjiciens prompto animo, totíſque Viribus me accingam, ad agenda ea quorum cauſâ introivi in Vitam, ut Spartam, quam nactus ſum, adornem ſtrenuè, ad divinæ tuæ Majeſtatis Gloriam, & ſalutem animæ meæ, per Jeſum Chriſtum, qui vivit & regnat una tecum, & cum Spiritu Sancto, unus Deus in ſempiternum. *Amen.*

Pater noſter qui es in Cælis, &c.

Die

Die Lunæ, Preces Matutinæ.

I.

O Deus perquam magne, miſericors, atq; exorabilis; quo non honore dignus es, cujus Virtuti par eſſe nihil poteſt, cujus Solium in Cœlis poſitum eſt, imperiúmque in omnes ubique res protenditur? Quo non amore dignus, cujus Clementia ab æterno durat in æternum, erga Tui reverentes, & æquitas erga natos natorum? Quantum Tibi debetur obſequium, quanta fiducia, qui tuorum miſeriis affici uſquequaque facillimus es, ad parcendum promptiſſimus, ad Iram tardiſſimus, Bonitatis denique & Benignitatis plenus?

Intimis ego viſceribus meis, toto pectore, totis viribus, Tibi gratias ago, & ſanctum tuum nomen prædico, tot tantorúmque, quibus me affeciſti, beneficiorum haud immemor. Minimè quidem certè mecum ita Te geſſiſti, quomodo peccata mea merebantur, neque pœnas ſceleribus meis pares exegiſti. Quin Tu ſemper paratus es, ad omnes iniquitates meas, pro inenarrabili tuâ Clementiâ, pœnitenti mihi condonandas; atq; Medici

partes

partes obiens, lethalium vulnerum mihi à peccatis inflictorum ſanie abſterſâ, deploratis animi morbis vitiiſque ingenitis curationem adhibere ſatagis.

Quanto immenſius eſt Cœlum terrâ, tam altitudine, quàm amplitudine, tanto Bonitas tua ſuperat, & veluti abſorbet eorum peccata, qui pœnitentiâ ducti Te reverentur. Quantum diſtat Oriens ab Occidente, tantum removes à nobis delicta noſtra. Quanto & quàm propenſo amore, afficiuntur Patres erga liberos, in aliquâ miſeriâ verſantes, tantâ Tui Timentes benevolentiâ complecteris. Tu quidem Patrum omnium longè optimus, ac clementiſſimus eâ in filios pietate præditus es, eâ ad ignoſcendum facilitate, eâ favoris immenſitate, quam neutiquam capiant cordis mei anguſtiæ. Adeò ut quamvis me meritò deterreat peccatorum conſcientia, in miſericordiam tamen & manſuetudinem tuam, cum confidentiâ paternæ tuæ bonitatis, memet conjiciam, ſupplex & demiſſus, quâ tot modis gravitèr in Te deliqui, noxam agnoſcens.

Fateor equidem ab ortu meo me peccati contagione infectum eſſe, inque toto vitæ curriculo, hæreditariæ iſtius pravitatis fructus ſæpe protuliſſe teterrimos. Nullus eſt dies, hora ferè nulla, quin ſtultus & incautus aliquâ

quâ culpâ tenear erroris humani, atque divinas leges Violem: adeò Tui, quódque à me Tibi debetur officii ſtupidè oblitus ſum. Tantum verò abeſt, ut mei Tu oblitus ſis, ut ne unus quidem prætereat dies, nec una certè horula, quin me tuteris, variíſque cumules beneficiis. Nox iſta proximè elapſa, quâ me incolumem ſervaſti, dies hodiernus, qui mihi jam lætus illuxit, paternam tuam erga me curam, benignámque Providentiam abundè teſtatur.

Non poſſum non mirari effectus omnes Divinæ tuæ in me Miſericordiæ, hunc verò præcipuè, quòd mihi peperceris, nec in ſceleribus & flagitiis meis me è medio ſuſtuleris, quem certè, qui tot tantíſque injuriis Majeſtatem tuam tamdiu laceſſiverim, ſi jure mecum voluiſſes agere, vivum in Infernum jamdudum detruſiſſes. Multa quidem & magna ſunt peccata mea, quorum neq; numerum, neq; atrocitatem vel mente percipere, vel linguâ profari queam: tot tamen & tanta non ſunt, ut non multis illa modis miſericordia tua antecedat. Digneris, quæſo iſta omnia, quantacunque aut quotcunque ſint, pretioſo Chriſti ſanguine purgare, méq; in gratiam recipere, propter infinita ejus merita, cui tecum & cum Spiritu ſancto, ſit omnis honor, laus, & gloria. *Amen.*

II.

II.

SAncte, ſancte, ſancte Domine Deus omnipotens, qui eras, qui es, & qui futurus es, ne me deſpicias peccatorem immundum, canem mortuum, vermem putridum, ſed largiaris mihi Spiritum tuum, quo abluente ſanctus purúſq; fiam, quo excitante ac adjuvante in poſterum peccatis renunciem, méq; componam ad obtemperandum Tibi ſincerè per omnia; & potiſſimùm quo in præcepto maximè deliqui, de obedientiâ huic præſtandâ firmiſſimum de novo propoſitum formem.

Ne ſim ita malè comparatus, ut non proſit mihi, ſed obſit, & noceat ipſa tua indulgentia. Ne ſim uſq; adeò perditus, ut ex cunctis tuis beneficiis, non commodum, ſed detrimentum percipiam. O quàm gravis & miſerabilis erit ſors mea, ſi nequam ego fœlicitates ipſas mihi adverſas habeam, & ab ipſis tuis donis ac favoribus deterior tantum fiam & miſerior! Ne patiaris me ex impunitate cor meum obdurare, quin Tu qui adeò benignus es, fac me reducat ad bonam frugem tanta tua benignitas.

Tolle, precor, & extrahe radicitùs ex animo meo, inanes ac effrænatas cupiditates, quarum

quarum nec modus ullus, nec finis inveniri poteſt: cúmque me Rationis participem feceris, quâ ſentio, quid ſit ordo, quid ſit quod deceat in factis dictíſque, da ut ſemper caveam, ne quid indecorè, effœminatéve faciam, ne quid libidinoſè, aut dicam aut cogitem; ſed eâ ſim mente, eâ linguâ, eâ vitâ, quam ratio, quam virtus, quam religio præſcribit; ut nihil expetam niſi quod honeſtum eſt, nihil metuam præter peccatum, eóque cum caream omnia humana placatè & moderatè feram.

Des clementiſſime Domine, ut ſpem meam omnem, omnémq; meam Fœlicitatem in Te reponam, nec unquam omnino vel cupidine voluptatis, vel periculi fugâ committam, ut Tibi ſim infidus, rebellis, contumax. Atque quum ſim ego ſervus Tibi mancipatus tribue hoc mihi, ut quæ nobis patefeciſti, ac præcepiſti, ſic ut par eſt, intelligam & amplectar, Te ſemper ſummâ cum reverentiâ ſuſpiciens, & erga omnes homines ita me gerens, ut nemo conqueri meritò poſſit, præter jus & æquum fuiſſe à me quicquam in ipſum admiſſum. Siquis verò me aut meus indignè tractat, doce me optimam illam ulciſcendi rationem, ſcilicet, ne ſimilis fiam ejus, qui injuriam fecit.

Denique,

Denique, oro Te, Pater cœleſtis, non ut mihi nihil adverſi eveniat, ſed ut quicquid acciderit, ſine dolore, ac impatientiâ perferam; ut nec præſentibus frangar, nec futura extimeſcam, mecum ita cogitans, non illud quod accidit infortunium verè eſſe, ſed quòd gratiâ tua juvante fortiter illud feram, id fœlicitati tribuendum eſſe. Si non ab omni periculo, ſaltem à peccato periculorum omnium maximo, hodiè me conſerva; ſemperq; in dies ſingulos mihi propitius adeſto, me doce, me confirmato, mecum permane, ut ab hujus vitæ laboribus ærumniſq; ad æternam tandem beatitatem traducar, per Jeſum Chriſtum, Dominum noſtrum. *Amen.*

III.

QUI dignatus es, benigne Deus, & eſſe, & appellari tuorum fidelium Paſtor, eóſque inſtar ovium auſpiciis tuis deducere promiſiſti; adſis, quæſo, jugiter propitius Eccleſiæ Chriſti militanti, per varias Gentes quaquaverſum diſſeminatæ; nominatim verò Anglicanæ huic noſtræ; atq; inibi ante alios, Regi ſereniſſimo, ut diutiſſimè ſalvus, ac incolumis, orbis Chriſtiani bono, rebus interſit humanis, & poſt hanc vitam fœliciter peractam, in meliora alterius vitæ regna transferatur.

ratur. Benedicas etiam univerſæ Stirpi Regiæ, Regni Proceribus, totíq; Magiſtratui; iiſque omnibus melius meliúſque de Republicâ merendi, & animum ſuppedita, & Vires. Benedicas Clero Anglicano. Digneris Epiſcopos & Paſtores noſtros indies ſalutaribus Spiritûs tui donis augere, locupletare, condecorare. Benedicas Populo univerſo, efficiáſque, ut omnes ſibi Præfectos in honore habeat, iíſque in licitis, ac honeſtis, morem gerat. Pacem finibus noſtris concilia; inopum pauperúmque litem, & cauſam agas; errantes reduc; periclitantes defende; languentes recrea; mente fractos ſana, eorúmque medere doloribus; afflictorum omnium miſerere, ac unicuíque, pro variis ſuis neceſſitatibus, opem ferus. Hæc peto propter Jeſum Chriſtum, Mediatorem & Advocatum noſtrum, cui tecum, & cum Spiritu ſancto, ſit omnis honor & gloria in ſæcula ſæculorum. *Amen.*

Pater noſter qui es in Cœlis, &c.

Die

Die Lunæ, Preces Veſpertinæ.

I.

SUmme Pater, æterne fons, atq; idæa omnis potentiæ, lucis, pulcritudinis, excellentiæ, dignitatis; ad tuum ſane magnum & glorioſum nomen, adamantinæ Cœli portæ contremiſcunt, ipſéque Sol pallet, expavet, deliquium patitur, velóque coopertus in tenebris latet: ad nutum tuum fixis legibus volvuntur numeroſi Stellarum cœtus, atque inexplicabili providentiâ Univerſi clavus regitur. Equidem dum Te cogito tantum tam ſtupendæ Majeſtatis Numen, me verò vermem viliſſimum, homuncionem, uſque adeò contemptibilem; Te infinitæ potentiæ, & quicquid volueris facientem, me nihil efficere potentem, non vel capillum unum nigrum in album mutare; Te infinitæ puritatis atque ſanctitatis, me pollutum & inquinatum, peccati ſordibus volutantem; Te conſtantem ac immutabilem, me mutationi & corruptioni per ſingula vitæ momenta obnoxium; Te æternum & immortalem, me fragilem & caducum, in mille mortis periculis verſantem; hæc certè dum ego mecum cogito, infinitam

tam, quâ me ſuperas, diſtantiam ſtatim agnoſcam, & memet in pulvere & cinere pœnitens aſperner neceſſe eſt.

Fateor equidem ſimulatque editus in lucem ſuſceptúſque ſum, in magnâ me continuò pravitate, ac opinionum perverſitate verſatum fuiſſe, ut penè cum lacte nutricis errorem & vitium ſuxiſſe videar. Mentem licet mihi largitus ſis naturâ immortalem, participem rationis, voluntate liberam, conſilii compotem, cœleſtibus illis ſimilem mentibus, quæ ſine corpore, intentis ac defixis in Divinitatem oculis, ævo ſempiterno beatè fruuntur; vehementi tamen ardore mundi hujus quiſquilias & nugas miſer ſectatus ſum, cœleſtémque animam æternùm victuram rebus infimis ac viliſſimis mancipavi.

Ad honores expetendos, ad ambiendam potentiam, ad cumulandas divitias, ad eas omnes ineptias, quæ ad pompam faciant congerendas, ingens mea fuit, & effrænata cupiditas. Paupertatis autem, ignobilitatis, obſcuritatis mirus timor, mirum odium. Hinc irrequieto fui animo, varias tentavi artes, multíſque ſtudiis inanibus me fatigavi. Tu verò propitius eſto mihi, benigniſſime Deus, nec me diutiùs patere, talibus laqueis implicari, ſed ab indomito iſto hujus mundi amore, omníque pravâ cupiditate me perni-

tus libera, propter eum, qui mundana omnia usque adeò contempsit, Jesum Christum. *Amen.*

II.

Fecisti me, omnipotens Deus, beatitudinis capacem, magnóque ejus acquirendæ studio animum meum imbuisti. At frustra certè sum, si ullam aliunde fœlicitatem, vel expetere, vel sperare, vel cogitare velim, quam ex benedictione tuâ, sine quâ nihil omninò profecturus sum, quæ verò sola si adsit, etiam per omnia impedimenta viam reperit, ut nobis in lætum faustúmque succedant omnia.

Non stat per Te, quo minùs fœlix sim, sed per meam ipsius stultitiam, vanitatem, pravitatem. At me dona, quæso, Spiritu tuo sancto, qui à meipso me vindicet, vireíque mihi sufficiat, ad omnes eradicandos vitiosos habitus, affectus pravos, & impuros mores, quibus dum indulgeo, non possum non Tibi displicere. Vitæ rationem tuis edictis explicatam me doceas, ut instituta tua probè habeam perspecta, semper & ubique observem, totóque pectore custodiam. Dirigas me quotidie per iter illud Præceptorum tuorum, quo nihil mihi sit optatius: Et si quando animus meus

meus in contrariam partem sese obripere incipiat, quæso, ut ab omni vitio & peccato aversum, ad ea complectenda inflectas, quæ Tibi placere testaris. Oculos meos cohibe, ne vanissimarum rerum specie illecti decipiantur; sed me potiùs sub auspiciis tuis in veram, in sanctam, in beatam vitam asserito; mihique reipsâ ratum facias, quod es verbo famulis tuis pollicitus.

Utinam Te Patrem optimum, Dominumq; maximum toto corde, totâ animâ, totis viribus semper diligam. Quin & erga omnes homines pectus meum possidest is dilectionis affectu, ea benigna charitas, ut nulla cogitatio mihi irrepat, quæ noxiâ & in alterius detrimentum vergente concupiscentiâ, animum meum commoveat; sed quicquid concipio, delibero, volo, meditor, id cum proximorum bono & commoditate sit conjunctum. Ne sim tam angusti animi ramque parvi, ut turpis lucri studio transversus agar, sed edoceas me, quæso, honestam illam artem pecuniam contemnendi, si non habeam, si habeam, ad beneficentiam liberalitatémq; conferendi. Indulgeas mihi, benigne Pater, tantum duntaxat divitiarum, quantum ad tuendam vitam opus est; tantum gloriæ & honoris, ut benè audiam de virtute; talem sanitatem habitudinémque corporis, ut valeat mens; eam spe-

ciem, ac vultus lineamenta, quæ animum formosum ostendant; eas vires, & robur, quæ pietatis & virtutis exercitiis sufficiant, ne facilè fatigar.

Da ut nullâ unquam, si ad peccatum tentatus fuero, celandi, & occultandi spe opinionéque movear; sed semper mihi persuasum sit, si omnes homines celare possim, nihil tamen avarè, nihil injustè, nihil libidinosè, nihil incontinenter esse faciendum. Nec pretio, nec gratiâ, nec periculo, nec simultate à viâ rectâ deducar. Semper autem ita vivam, ut rationem Tibi, Judex omnipotens, reddendam arbitrer; omnisque mea cura in hoc versetur, si possim, ut boni aliquid efficiam: sin minùs, ut certè nihil mali. Cúmque commorandi hic mihi diversorium, non habitandi datum sit, móxque ex vitâ discedendum, tanquam ex hospitio, non tanquam ex domo; utinam quotidiè memor sim mortis, quæ propter incertos casus quotidiè imminet, & propter brevitatem vitæ, nunquam longè abesse potest. Prospiciam porrò & ultra mortem, ad vitam immortalem, cogitationes æternitate meâ dignas suscipiens, præsentibus anteponens futura, incertis certa, durabilia caducis, ut futuram illam, stabilem, æternámq; beatitudinem tandem consequar per Jesum Christum. *Amen.*

III.

III.

O Deus, cujus nomen tam nobile est in toto terrarum Orbe, dignare quæso, pro immensâ illâ, quâ præditus es, Clementiâ, omnes ubique Gentium homines benigne respicere; imprimis autem, quos favori tuo potissimùm commendo, amicos, patronos, ac benefactores meos; illos etiam universos, qui ubivis justè rerum potiuntur, quos vellem bonis affici quam plurimis, etiamsi ad me ex iis nihil redeat. Constitue Orbi Christiano Principes, temperamentum illud imperii colentes quod & sibimetipsis sit honorificum & populo moderatum, ac salutare.

Regem nostrum incolumem, prosperisque rerum successibus fortunatissimum, ad Christianam fidem tutandam diutissime conserva. Universam Familiam Regiam omnibus benedictionum tuarum thesauris locupletare digneris. Nullum laborem, nullas vigilias, nulla demum pericula recusent Magistratus nostri, quò Patriæ incolumitatem, Regni honorem, omnium deniq; salutem promoveant; Civesq; Magistratibus ac legibus pareant, & societatem hominum tueantur.

Adhibeant Episcopi piam Ecclesiarum curam, & paterna erga Clerum & populum

viscera, fidelem in docendo, hortando, corripiendo assiduitatem, cum eruditione, gravitate, & affabilitate conjunctam, eam deniq; sanctimoniam, integritatem & morum probitatem, ut nihil desit unde munus Episcopale tum perfecte adimpleri, tum etiam ornari, & condecorari possit. Pii, probi, doctique sint Presbyteri, & omnes Ecclesiastici; Officio suo sacro gnaviter, assidue, fideliter defungantur, ad veræ doctrinæ, ac inculpatæ vitæ solidam laudem constanter aspirantes; quò populus eos in honore habeat, eorumque monitis piis prompte auscultet. Flagret in Academicorum animis sincerus amor literarum tam divinarum quam humanarum, præmiaq; sint studiorum laboribus.

Respice eos qui morbis oppressi, morti appropinquare videntur, tuoque jussu sanandos cura, prout Tibi visum fuerit, qui una tantum omnia vocula, lethales omnes morborum causas tollere possis. Protegas Mercatores & alios, qui navibus in mare descendunt, negotia in vastis exercentes aquis, tuaq; videntes miracula in profundo: libera eos à tempestatum periculis, ut tranquillo mari, incolumes ac læti, à Te in optatum ducantur portum. Jus redde affectis injuriâ, Victum da famelicis, captivos vinculis solve, cæcis & præ consilii inopiâ perculsis oculos aperi, collapsos

collapsos attolla pupillos & viduas sublevа, omnesque in rebus arduis Te invocantes, benignè exaudias propter Jesum Christum Mediatorem nostrum clementissimum. *Amen.*

IV.

Acceptum Tibi sit, Pater misericors, Vespertinum hoc, quod jam offero laudis Sacrificium. Quod enim mihi præterlapsum diem faustum præstiteris, neque per totam vitam ab ipsis usque incunabulis conservaris incolumem, id, ut par est, cunctaque alia, quibus me tuum effecisti, beneficia, gratissimo quantum possum animo agnoscere cupio. Imprimis autem immortales Tibi gratias ago, pro excellentissimo illo Redemptionis opere, quod ante jacta mundi fundamenta præscieras, atque in teipso proposueras, quódque ab Orbe condito in labentibus Sæculis, sub variis figuris, umbris, ac typis, mortalibus eminùs videndum dederas, quódque tandem in plenitudine temporis, per unigenitum Filium tuum peregisti; quem propterea misisti in mundum, ut clementissimam Voluntatem tuam, de peccatoribus seriò resipiscentibus, & evangelio fidem habentibus, æternâ salute gratuitò donandis, non modò nobis per ipsum patefaceres, variisque modis confirmares, sed

& reipsâ per sanctissimam ipsius obedientiam, & efficacem Spiritus sancti operationem, in nobis ad optatum finem gradatim perduceres. Tibi etiam omnem laudem & gloriam tribuo, ob Missionem divini illius Spiritus, qui nobiscum dux veritatis, monitor fidelis, consolator suavissimus semper permaneret; necnon ob Angelorum ministerium, quibus nostri, quos custodiendos susceperis, tutelam delegasti. Excubent illi quæso, pro salute meâ, hâc nocte, curámque gerant, ne quid mali mihi accidat. Ipse Tu quoque, Magne Custos fidelium omnium, defensionem mei, dum somno tenetur, suscipias, ut manè expergefactus, quanto major fuerit clementia erga me tua, tanto propensiore ego animo mandatis tuis observandis totus incumbam. Hæc mihi concedere digneris, propter illius meritum, qui solus à potestate tenebrarum, mortis, & Diaboli, pretioso suo sanguine, & victrice manu nos redemit. *Amen.*

Pater noster qui es in Cœlis, &c.

Die

Die Martis, Preces Matutinæ.

I.

OMnipotens Deus, rerum omnium Pater, qui pro arbitrio efficis quicquid vis, & in Cœlo, & in Terrâ; qui ſexcentos Mundos condere, conditóſque vel tenuiſſimo halitu funditùs extinguere, ac delere potes; apud quem Gentes pro guttâ ſitulæ, próque ſtateræ granulo habentur, ac quaſi momentum transferuntur Inſulæ. Ad Te accedo Numen quàm incomprehenſibiliter glorioſiſſimum, non niſi ſacro quodam metu concuſſus, quaſique adorabundâ tantæ Majeſtatis admiratione planè abſorptus.

Omnium attentè ſpectantium oculos, ad honorem Tibi tribuendum adigit, qui in operibus tuis elucet, Splendor: & in eorundem adminiſtratione ſumma ſeſe juſtitia conſpiciendam perpetuò præbet. In univerſo tuo Regimine, licet nemo ſit qui manum tuam impediat, aut abs Te facti rationem exigat; tamen id ſolùm ſpectas, quod æquum & jus poſtulet, ac præcipiat. Fida ſunt omnia mandata tua, ad certiſſimam normam directa, ad perpetuitatem fixa, adeóque demum ſtabi-

lita,

lita, ut ne nutare quidem, nedum immutari aut aboleri possint.

Ego verò quamvis totus in eo esse debui, ut tantum Numen devotissimè colerem, mandatisque tam æquis assiduè obsequerer, Tui tamen, officiique in Te mei nimis immemor, peccata peccatis accumulando justam tuam in me iram atrocitèr provocavi. Statum animæ meæ tristissimum ex peccato ortum, gravissimáque per omnes facultates disseminata mala; errorem in judicio, pravitatem in appetitu ac affectibus, lubricitatem (ad bonum) memoriæ, vitiosam conscientiæ Temperiem, totiusque naturæ meæ depravationem, & sentio miser, & humilis agnosco. Ratione quidem me doquasti, quæ affectus meos regeret, illisque imperaret; at sæpe nimis primo statim obtuitu, illicitæ objectæ species meam ita moverunt phantasiam, ut intellectus examini rationisque dictaturæ via præclusa sit; atq; inde voluntas quasi sublatis repagulis, præceps ruerit ad ea appetenda, quæ erant fugienda, aut contra rejicienda, quæ fuerant deamanda. Aliquando etiamp licet animum attendissem, non secutus sum, quod honestum esse planè vidi, néque sciens scelere contaminavi.

Qui porrò tot atrocia peccata admisi, certè longè atrociora admisissem, nisi naturæ meæ corruptionem gratiâ tuâ retrahente cohibuisses:

isses; adeò ut Tibi debeatur, quòd non fuerim omnium perditorum post homines natos sceleratissimus, nequissimus, spurcissimus; quòd animum meum laxis habenis in libidines quaslibet exilire, omnésque flagitiorum labes in se contrahere non permiseris. Præstantissima etiam dona tua variis modis pollui; nec solùm vitia ipse concepi, sed aliquoties ea in alios infudi, plus exemplo quàm peccato nocens.

Hinc, fateor, Execrationi divinæ meritò subjectum, æternisque dignum pœnis me ad ima Tartara detrudere posses. Cum verò filius tuus unigenitus, Jesus Christus maledictioni se obnoxium fecerit, mortémque Crucis execrandam sustinuerit, ut omni execratione, quæ propter iniquitates nostras, aut nos manebat, aut nobis incumbebat, eximeremur; cum agnus ille Dei ab omni vitio purissimus, iniquitatum tamen nostrarum probrum & ignominiam induerit, inque morte suâ Tibi, pro Victimâ satisfactoriâ immolatus sit, ut mala quæ divinæ tuæ Majestati exosos nos reddebant sanguine suo expiaret, hinc iram tuam horrere desino, peractâ jam per ejus Sacrificium litatione, Téque fidenter oro, ut propter meritum sanguinis illius pretiosissimi peccata mihi mea, quæ omnia demissione summâ detestor deploróque, propitius ignoscas.

Quin

Quin & illâ me quæso sancti Spiritus tui gratiâ repleas, quâ deinceps, huic uni curæ potissimùm & præ omnibus incumbam, ut tua custodiam mandata, Tibi semper obsequar, Tibique acceptus sim per charissimum illum Filium tuum Jesum Christum. *Amen.*

II.

GLorioſe Deus, omnis Sapientiæ, justitiæ, Sanctitatis, rectitudinis, Author unice; ne finas, obsecro Te, ut affectus mei rationis judicium prævertant, usumque ejus impediant, sed stimuli sint ad actiones honestas, & rationi consentaneas. Effice me hominem purum à blandis Voluptatibus, à doloribus inviolatum, intactum à libidine, insciam omnis malitiæ, altè tinctum justitiâ, ex animo contentum iis quæ eveniunt, certatorem maximi certaminis, ne scilicet affectus ullus me prosternat. Cogitationes meæ sint innocuæ, castæ, simplices, placidæ, benevolentes, dignæ animali ad Societatem nato, imò dignæ homine Christiano, quem sanctissimus Jesus cœlestem suam doctrinam edocuit. Vacuus sit animus meus cupiditatis, avaritiæ, ambitionis, vanitatis, invidiæ, suspicionis, aliorumque, quæ si me animo agitasse fassus essem, pudore me suffundi oportuisset. Maximi æstimem conscientiam

ſcientiam mentis meæ, quam à benignitate tuâ accepi, quæ à me divelli non poteſt, quæ ſi optimorum conſiliorum, atque factorum teſtis in omni vitâ mihi erit, ſine ullo metu, & ſummâ cum honeſtate vivam.

Quod verò ad externas res attinet, utinam juſtâ earum deſpicientiâ imbuar, ut mihi ſemper perſuaſum ſit, nihil me, niſi honeſtum, decorúmque, aut admirari, aut optare, aut expetere oportere: ut illa quæ eximia pleriſque, & præclara videntur, parva ducam, ſtabiliſque perinde ac merentur, contemnam ratione; illa autem quæ videntur acerba ita feram, ut à recto naturæ ſtatu nihil diſcedam, nihil à dignitate Sapientis.

Quoniam autem vivitur, non cum perfectis hominibus, ſed cum iis in quibus præclarè agitur, ſi inſunt ſimulacra virtutis, eâ me humanitate, manſuetudine, atque charitate dona, ut neminem omnino negligam in quo aliqua ſignificatio virtutis appareat, colam verò ita quemque maximè, ut quiſque maximè virtutibus ornatus erit. Concedas mihi, ut & ipſe ſemper juſtè agam, & perſuadeam iis cum quibus ago, ſin minus, ut etiam illis invitis id agam fortiter, quod juſtitiæ ratio jubeat. Quod ſi quis vi me impediat, tranſeam ad æquanimitatem, eóque impedimento ad alterius virtutis opus utar, ad patientiæ exercitium,

tium, memor me cum exceptione quadam etiam bonas actiones instituere, neque ea appetere, quæ fieri nequeant. Hoc verò solum appeto, Domine, ut appetitus meos ratio, & religio semper dirigant, sufficiatque mihi, si Te quovis in statu, quovis modo glorificare possim, si cujus causâ productus sum in Mundum, illud demum fiat.

Flecte, forma, attrahe cor meum ad omnem Pietatem, & quicquid boni operis in me cœperis, id quæso perficias ad perseverantiam me confirmando. Quæcunque enim habeo, sive cum aliis communia, sive præ aliis hominibus peculiaria bona (quà corporalia, quà spiritualia) tuæ unius spontaneæ Liberalitati ac Munificentiæ accepta fero, próque iis omnibus immortales Tibi gratias ago. Te Domine revereor, Te prædico, ut supremum meum Benefactorem, Authorémq; unicum omnis quam participo fœlicitatis. Si quid verò boni ab hominibus acceperim, istos video solummodò esse divinæ tuæ Bonitatis ministros: neq; tamen eos idcircò prætorire velim, ac si nullam gratiam suâ humanitate promeriti essent, sed illis obstrictum me ex animo sentiens, Te rogo, ut semper benedicas omnibus iis à quibus beneficio aliquo affectus fuerim.

Jámque sicut me proximâ superiore nocte sub umbrâ alarum tuarum securè quiescentem,

ab

ab omnibus tenebrarum periculis incolumem conſervaſti; ita me, quæſo, per totum hunc diem, & per omnem ætatem meam, in fidem tuam ac tutelam ſuſcipias, ut curriculum vivendi à Te datum rectè, honeſtè fœlicitérque conficiam, per virtutem Jeſu Chriſti, qui ad dextram tuam ſedens honore, poteſtate, beatitudine ſupereminentiſſimâ, & Tui proximâ cumulatur. *Amen.*

III.

Miſereris, Deus optime, maxime, imbecillæ hominum naturæ, quæ infinitis caſibus ærumniſque quotidiè jactatur. Sis benignus humano generi, afflictiſque mortalium rebus opem feras, ut eas Tibi curæ eſſe luculentèr appareat. Præſertim verò faveas & benedicas Eccleſiæ tuæ, quam propriori intuitu dignaris. In eâ conſervandâ regendâque excubias age, atque ab inimicis omnibus eam vindica. Exprimant atque commonſtrent Chriſtianiſmum ſuum Chriſtiani, non ſolùm nomine & profeſſione, ſed re ipsâ, & moribus, qui ſanctæ vocationi reſpondeant. Exemplo præeant hujus Sæculi Principes, ut omnium primi, ſummo cum timore ac reverentiâ, Tibi ſupremo Cœli Terræque Domino colla ſubmittant. Regi noſtro,

ſtro, Regiæque ſtirpi univerſæ, pro ſummâ tuâ clementiâ ita benedicere digneris, ut eis, omnia ad gloriam tuam, Eccleſiæque præſidium fauſtè atque fœliciter eveniant. Rectè ſibi temperent Magiſtratus & Judices, unúmque ac perpetuum æquitatis tenorem ſervent. Epiſcopi noſtri prudentiâ, gravitate, comitate, omnibúſque pii ac benevoli animi ſignis, inferiorem Clerum, & Populum in obſequium trahant. Quiq; in Eccleſiâ ſubſunt, demiſſos ſe præſtent, tractabiles, morigeros, Antiſtitum juſtis mandatis alacritèr obtemperantes, prudentibus conſiliis promptè auſcultantes, perſonis debitam reverentiam officioſè deferentes. Denique quicunq; ſint ſive Superiores, ſive inferiores, ita in omnibus vitam ſuam inſtituant, ut Eccleſiæ honorem, quietémq; Patriæ optimè promoventes, ſaluti etiam propriæ verè conſulant per Jeſum Chriſtum dominum noſtrum. *Amen.*

Pater noſter qui es in Cælis, &c.

Die

Die Martis, Preces Vespertinæ.

I.

O Deus, qui potenti virtute, ſapientiâ infinitâ, benignitate ſummâ ſuſtines, regis, gubernas omnia; qui curſum aſtrorum, mutationes temporum, rerum viciſſitudines, ordinéſque conſervas; terráſque, & maria contemplans jugitèr conſulis rebus humanis, neq; ſolùm univerſis, verùm etiam ſingulis. Aliqua Tui notitia, quæ ſemen quoddam ſit Religionis menti meæ naturaliter indita eſt. Numen porrò tuum ita patefeciſti in toto mundi opificio, ac quotidiè palam offers, ut aperire oculos nequeam, quin aſpicere Te cogar. Commoda quibus utor, lucem quâ fruor, quem duco ſpiritum à Te mihi dari & impertiri video. Quicquid boni habeam id Tibi omne in ſolidum debeo, Tibíque totum conſecrare teneor. Hinc me mores meos ad legis tuæ normam componere, Tibi auſcultare, Te ſequi, Tecum conſuetudinem habere, atq; ad immortales Tibi gratias agendas ſummo jure obligatum, in Te ſolo, non in meipſo gloriari perpetuò oportet. Nihilominùs tamen inter innumera, tum in Cœlo, tum in Terris, tum

etiam in meipſo documenta, quæ mirificam tuam Sapientiam, bonitatem, ac benignitatem teſtentur, ego ſtupidus homuncio, qui in omnipotentis Conditoris, optimique patris admirationem, & laudes prorumpere debui, Tui oblitus ſum, & rebus terrenis immerſus, rarò ad Te animum elevo.

Multifariam me erudire, monere, hortari, non deſtitiſti, & caſtigare etiam, tantâ quidem huc uſque cum lenitate, ut immenſa tua miſericordia longè judiciorum ſeveritatem ſuperarit; indocilis autem mens mea rebus terrenis addicta, & quaſi in cœnum provoluta, à divinis cogitationibus, & ſanctitatis amore nimium averſa eſt. Quin poſt vigilantiſſimam cordis mei cuſtodiam, non rarò ſive tentationis impetu, ſive impotenti quadam naturæ meæ perfidiâ in peccatum abreptus fui. Quantum igitur poſſum oro Te, ut me pœnitentem miſericordiâ complecti, meæque fragilitati, ac imbecillitati, divino auxilio adeſſe digneris, propter Jeſum Chriſtum, immaculatum Agnum, qui mundi peccata tollit. *Amen.*

II.

IN pravitatis cœno demerſum, Benigniſſime Pater, ne me deſeras, ſed clementer inde extrahas, quæſo, jacentémque erigas, ac meliori

liori dones mente, ut sciam, velim, & faciam, quæ ad gloriam tuam & salutem meam spectant, Tibíq; placere libenter studeam. Imbuas me eâ prudentiâ, quæ à voluptatum illecebris, cupiditatum impetu, & formidinum terrore me vindicet, atque vias monstret, quæ ad quietem & tranquillitatem ferant; ut nihil unquam mihi præstantius habeatur, nihil quod magis expetam, quàm honestum, tandémque mihi persuadeam, præter peccatum, quo deinceps, quantum in me est, carere cupio, homini accidere nihil posse, quod sit horribile & pertimescendum.

Adsit mihi semper custos virtutum omnium, dedecus fugiens, & laudem maximam consequens verecundia. Occupet intimè pectus meum ingenuus ille, & generosus pudor, qui nunquam iturus sit ad erubescenda, & quæ lucem timeant, ut penitùs abstineam non à perpetrandis modò, sed & cogitandis flagitiis. Largire mihi mentem sanam, placidam, liberam, quæ ad gloriosam immortalitatem aspirans, adversus omnes exteriorum rerum Species obfirmetur, & sæculi hujus omnia, tam quæ aspectu torva sunt, quàm quæ jucunda facilè contemnat. Cum autem me rerum præsentium status nonnihil perturbet, utinam celeriter ad me redeam, neque ultra quàm necesse est, à legitimis institutæ vitæ modulis

discedam. Toto animo in unicum hoc incumbam, ut cogitationes & actiones meæ, sint piæ, sobriæ, justæ, corpori autem tantum indulgeam, quantum bonæ valetudini satis est, vivamque ad naturam, quæ exiguum, non ad opiniones, quæ immensum desiderant.

Fac præceptis tuis, indies me oblectem, edictáque tua, quibus nihil mihi sit jucundius, utráque capessam manu, nec unquam ea meditari desistam; quin mediis etiam noctibus, Tui memor, depositis cæteris curis de observandâ doctrinâ tuâ pervigil cogitem, omnes opes meas, in eo sitas esse statuens, ut iis quæ locutus es obsequar, meósque pedes ad oracula tua convertam. Des, benigne Deus, ut impiorum omnium, quantum fieri potest, consuetudini renunciem, neque à malis petam vitæ consilium, sed si quem Tui timentem, tuorúmq; præceptorum observantem esse novi, hunc mihi sodalem adsciscam. Des ut ubique & semper, nocte, dieque, tum in solitudine, tum in hominum frequentiâ, hujus vitæ cursum brevem ita instituam, ut mors quæ omni ætati communis est, nunquam mihi terribilis appareat: quin tota mea vita, veræ Philosophiæ dicata nihil aliud sit quàm mortis meditatio; quo pacto Tibi, Domine, vivens, atque tandem moriens in Domino, ad Paradisum, ad sinum Abrahæ in æternis Cœli palatiis

palatiis admittar, ſimulatque luteo corporis tabernaculo ſolutus fuero. Ecce, mi Deus, ſive vigilo, ſive dormio, ſive vivo, ſive morior, tuus ſum, æternùm Tibi addictus, deditus, obſtrictus. Conſerva me quæſo, ut hâc nocte in pace quieſcam, & ſi Tibi viſum ſit, rurſum ſanus evigilem, ad laudes tuas manè celebrandas, Nomènque tuum ſanctè colendum, per Dominum noſtrum Jeſum Chriſtum. *Amen.*

III.

BEnedicas, quæſo, Clementiſſime Domine, fidelibus univerſis, quocunque in loco verſentur. Faxis ut exaltetur in mundo, & ad ſummam perveniat Chriſti Regnum, ut magnus ille Princeps pacis, à mari uſque ad mare dominetur, & à fluminibus uſque ad terminos Orbis Terrarum; tumultuantes verò Gentes, & populos juxta atque Principes inania conſilia adverſus ipſum capientes, oris ſui virgâ percutiens, non ſecus comminuat quàm figulina vaſcula; omniáq; tandem conſiant, quæ de magnificentiâ Regni ipſius vaticinantur Prophetæ.

Imbue Chriſtianorum animos non veritatis modò, ſed pacis ac fraternæ inter ſe charitatis promovendæ ſtudio, quò hoc ſaltem ſe

sinant exorari, qui invicem dissentiunt, ut humaniùs saltem & moderatiùs velint dissentire, nihilóque minùs inter se diligere; utpote non hostes, sed fratres, in levioribus licet dissentientes, in summâ tamen fidei conjunctissimos. Constitue Orbi Christiano justos ac prudentes Reges ac Gubernatores, qui Patriæ Saluti optimè consulant, & summam publicæ utilitatis rationem habeant. Regem nostrum omni virtute principali ornes, protegas ab omni malo, deducas in omne bonum, benedictionibus è Cœlo caput ejus, consilia, conatus, opera augeas, & Ecclesiæ, & Reipublicæ Valentem conserves quàm diutissimè; ut verus Patriæ Pater, erga Cives liberorum loco sibi commissos paternâ utatur indulgentiâ; populúsque meminerit tali Rege quicquam præstantius divinitùs nobis dari non posse. Sint Præsules nostri Apostolicæ simplicitatis ac pietatis viri. Des nobis Pastores, qui Magnificentius vivant, quàm loquuntur, qui non tantùm libris & concionibus, sed etiam exemplis ac moribus, populum ad omne genus virtutis, & rectè factorum cohortentur. Academias nostras, & Scholas pias tuere, fove, guberna, ut ex illis Seminariis existant optimâ eruditione instructi juvenes, qui publicis, privatísque muneribus obeundis sæculum ornare possint.

Miserere

Miserere afflictorum, injustè oppressos assere, famelicos pasce, vinctos solvito, cæcos illustra, ægris medere, sub calamitatum pondere fatiscentes erige, humanis præsidiis destitutos, vagos, advenas, pupillos, viduas, tutare ac subleva. Miserere etiam perditorum hominum, qui carcerum tenebris concluduntur, animo quidem angustiis, corpore verò ferreis compedibus quàm arctissimè constricti, idque meritò, quòd legibus divinis humanisq; rebelles, suis potius sunt obsecuti cupiditatibus, quàm consiliis tuis. Eorum autem ferociam ubi perdomuisti, suis in ærumnis istos ad Te clamitantes exaudi, ex periculis eripe, ex tenebris & funestâ nocte abruptis eorum vinculis educe, ut tuam celebrent Clementiam, & miranda beneficia apud hominum genus.

Denique oro Te pro omnibus amicis, necessariis, ac cognatis meis, ut pietatem quâ erga me usi sunt cumulatè rependas; nec non pro omnibus inimicis meis, qui contra fas & jus, me vel contumeliosè, vel indignè unquam tractaverint, ut iis clementèr ignoscas. Commendo quoque speciatim infinitæ tuæ misericordiæ, omnes quos ego offenderim, aut pravo exemplo ad peccatum induxerim, eos protege ab omni malo, atque gratiam tuam cum mihi tum illis infundas, ut

per emendationem omnium delictorum veniam conſequamur, propter Chriſti merita, cui una Tecum & Spiritu ſancto, ſit honos & gloria in æternum. *Amen.*

Pater noſter qui es in Cœlis, &c.

Die Mercurij, Preces Matutinæ.

I.

SApientiſſime, Sanctiſſime, Clementiſſime Deus, ſumme rerum Moderator, qui Cœlum & Terram ita imples, ut nullis uſquam ſpatiis circumſcribi, nullis finibus concludi poſſis. Tu omnibus ubique locis, abditiſſimis, ac remotiſſimis, incomprehenſibili modo præſens ades, omniáq; penitiſſimè cognoſcis, ſive bona ſint, ſive mala, præterita, præſentia, futura; imò etiam arcaniſſima, mentis cogitata, dicta Secretiſſima, opera occultiſſima; ſemper tenens memoriâ, & quaſi ante oculos poſita videns, quæcunque rectè aut ſecus à nobis fiant: adeò ut nec ignorantiâ, nec oblivione, nec fraude, aut aſtu, aut ullo unquam dolo falli poſſis. Imprimas mihi, quæſo, vivum & intimum, divinæ tuæ im-

immenſitatis, atque omniſcientiæ ſenſum, ut ubique locorum, circumſpectè, reverenter, & & ſolicitè, veluti in conſpectu tuo me geram, nihilque niſi tanti Numinis præſentiâ dignum cogitare, loqui, aut facere audeam.

Seraphici illi Spiritus, beati Cœlorum incolæ, coram Te faciem ſibi abſcondunt alis, Divinitatem intueri parùm ſuſtinentes. Ego verò cinis ac pulviſculus, quamvis Majeſtatem tuam glorioſiſſimam ubique agnoſco præſentem, agnitæ tamen præſentiæ rarò eâ quâ par eſt Reverentiâ afficior. Non ſiſtor vel Principi viro, ſine venerabundo quodam timore; at quantillum eſt in animo meo humilis metus, quantillum ſancti tremoris, ubi Majeſtatem tuam verendiſſimam mihi præſentem cerno? Haud coram homine mortali, haud coram balbutiente puerulo peccare auſim: pecco tamen ubi æternum, juſtiſſimum, potentiſſimum vindicem adſtare conſtat.

Mente quidem credo, oréque prædico, futura præſentibus, divina terrenis, perpetua brevibus anteponenda eſſe. Atat! Miſer & inſanus, quod non poſſum non fateri veriſſimum, & rationi conſonum, idem factis nego. In mundanis Negotiis operæ, ſtudiíque plurimum impendo: Divitias, voluptates, dignitates totis viribus aucupatus ſum. In ſacris autem, ſic ferè, torpeo, frigeóque, ac ſi omni

ſenſu

sensu ac intelligentiâ penitus carerem. Si de gloriosâ tuâ Majestate, de vitâ æternâ, de Christianâ perfectione sermo habeatur, vel quæ dicuntur, non animadverto, vel statim obliviscor; dum interim res caducæ, temporales, & sensibus subjectæ, in animum penetrant, in affectibus igniculos excitant, aculeos relinquunt. Et licet interdum quotidianâ experientiâ, luce clariùs videam humana omnia fugacia esse, ac tenui filo pendentia, protinus tamen cœco eorundem amore flagrans, ad ea redeo, quibus dudum assuetus sum. Te autem rogo, misericors Domine, pro infinitâ tuâ bonitate tot peccatis, & imperfectionibus meis ignoscere digneris; méque non in meipso, sed in charissimo filio tuo, Jesu Christo propitius consideres. Nec in æstimandis vel optimis operibus meis, donorúmque tuorum fructibus, rationem habeas imperfectionis, quæ à meæ carnis imbecillitate promanat, sed purissimi illius fontis Spiritus divini à quo profluunt, meritorúmque summi Mediatoris qui pro nobis jugitèr intercedit. *Amen.*

II.

TAnta eſt benignitas tua, tantáque Clementia, immenſe Deus, ut propter filium tuum unigenitum, adoptivorum filiorum delicta remittas, operáque quamvis imperfecta non modò non improbes, ſed etiam eò uſque probes, ut mercede impertias, tàm in hac vitâ quàm in futurâ: minimè id quidem, quaſi hæc merces operibus noſtris debeatur, ſed pro merâ tuâ gratiâ & bonitate, ſicut in Literis ſacris teſtatus es, Te nimirum pro tuâ miſericordiâ, benefacturum iis à quibus diligeris, quíque mandata tua obſervant.

Digneris me quæſo, tantâ tuâ miſericordiâ. Inſtituas me, Domine, in ratione decretorum tuorum, ut ea deinceps meliùs exequar, viámque præceptorum indefinenter curram, à virtute in virtutem uſque procedens, donec tandem coram Te in cœleſti Sione fœliciter compaream. Inſit mihi ſemper ſummus Tui timor, admiratio ſumma, ut à nutu tuo totus pendeam, méque humiliter Tibi ſubjiciam, cum omnimodâ reverentiâ, quæ Patri optimo, cum omni obſequio, quod ſupremo Domino debeatur. Etenim ſi mecum reputo, qualis ſis mihi Pater & Dominus, ſatis habeo cauſæ, etiamſi

etiamsi nulli fuissent inferi, cur Tui offensionem qualibet morte graviùs perhorrescam.

Largire mihi Spiritum tuum, cujus virtute Tibi consecrer in veram vitæ puritatem; ut hæc sit præcipua mea voluntas, voluntati tuæ servire, ac tuam duntaxat gloriam, modis omnibus provehere. Eradas ex animo meo non solùm habendi cupiditatem, potentiæ affectationem, effœminatum voluptatis amorem, sed ambitionem quoque & omnem gloriæ humanæ appetitum; ut neque superbiæ, neque fastui, neque ostentationi, nedum avaritiæ, luxuriæ, mollitiæ ullus in me locus relinquatur. Adsit mihi semper conscientia rectæ voluntatis, maxima illa rerum incommodarum consolatio; nec esse ullum majus malum præter peccatum censeam. Eâ me intelligentiâ, sapientiâ, promptitudine, sagacitate locupletes, ut tum ratione uti possim, tum oratione prudenter; ut agam quod agam considerate, omnique in re, quid sit veri, quid honesti videam & tuear; contráque, quid sit falsi, injusti, turpis; impuri percipiam, fugiámque: ut decora eluceat æquabilitas, cum universæ Vitæ, tum singularum actionum.

Divini Spiritus afflatu commonefac me singulis horis officii mei, ut fortiter (quemadmodum viro, & homini Christiano convenit)

id

id quod præ manibus eſt peragam, accuratâ & non fictâ gravitate, diligentiâ, humanitate, juſtitiâque adhibitis. In omni verò actione tantum verſer, quantum dignitas ejus, & debita proportionis obſervatio permittunt, ne diutiùs quàm par ſit, rebus exiguis immoratus faſtidium contraham, & bonas perdam horas. Cùmque vita adeo brevis ſit, da ut præſens tempus lucratus aſſiduè moribus corrigendis incumbam; ac in remiſſionibus animi ſobrius ſim.

Caveam præterea, ne quid unquam pro meo commodo amplectar, quod poſſit aliquando me impellere ad fallendam fidem, prodendam verecundiam, ſimulandum, appetendúmve aliquid, quod parietes, & velamenta deſideret: neque cum benè fecerim quæram plauſum, ſed ad aliud ſimile negotium tranſeam, arboris inſtar ad aquæ rivum ſatæ, quæ cum fructum ſemel protulerit, nihil præterea quærit, niſi ut rurſum ſuo tempore fructum ferat. Quod ſi forte contemnar ab aliquo, largire mihi eam prudentiam & patientiam, quâ præditus non vindictam mediter, ſed potiùs curem, ne quid contemptu dignum agam aut loquar. Nec ſit mihi cum alio quovis diſſidium, propter opinionum diſcrepantiam; nec inimicitiæ ſuſcipiantur, quòd mecum in iis non ſentiat, à quibus forſan paulò poſt & ipſe diſſenſurus ſum.

Eâ

Ea autem charitate me imbuas, quæ non sibi ipsi studet, non est irritabilis, non malè cogitat, sed omnia tolerat, omnia credit, omnia sperat, omnia sustinet. Deniq; quandoquidem ad lætam contendo, ac beatam immortalitatem, habeóque pro præcipuo fine, Tibi, benigne Deus, in omnibus placere, Téque summo bono in æternum frui, utinam cogitationum illarum magnitudine dignus vivam, neque quascunq; hujusce Sæculi rationes tantis consiliis se miscere patiar: quin id unum agam, ut beatitudinem illam supremam certissimè consequar, per dominum nostrum Jesum Christum. *Amen.*

III.

O Deus qui bonus, qui æternæ es clementiæ; accipias placidus quas Tibi summissè gratias ago, pro tuâ omni erga me benevolentiâ. Quantum enim Tibi debeo, quòd Christianis parentibus, intra Ecclesiæ gremium nasci dederis; quòd corpus tribueris salubre ac firmum: quòd animum sis largitus, divinarum, humanarúmq; rerum capacem. O mi Deus, quâ bonitate me condidisti? quâ misericordiâ redemisti? quâ libertate locupletasti? quâ lenitate quotidiè sustines delinquentem? quâ lætitiâ recipis ad frugem perductum? Singula mea membra, si singulæ essent linguæ, non satis

ſatis eſſent ad percenſenda divinæ tuæ erga me gratiæ munera. Liceat verò mihi hoc quale quale eſt, matutinum laudis ſacrificium ex altari devoti cordis offerre Tibi. Ac ſicut me nocte proximâ incolumem conſervaſti, mihíq; quietem indulſiſti, & reddidiſti lucem; ita oro Te ut recens quiſq; beneficentiæ tuæ ſenſus mihi renovet animi gratitudinem, eliciátque novas gratiarum ejaculationes, ſecretáſque lætí cordis ad munificum in Cœlis Benefactorem elevationes, ut qui tot nominibus Tibi ſim obſtrictus, hodiè, perpetuóque ad extremum uſque halitum, mandatis tuis cuſtodiendis memet addicam per virtutem Domini noſtri Jeſu Chriſti. *Amen.*

IV.

INfinitæ tuæ benignitati, Pater miſericors, omnes ubique homines, pro quibus orare teneor, libentiſſimè commendo, ut in cunctis neceſſitatibus opem tuam ſibi ſentiant adeſſe. Fautor eſto imprimis & adjutor propenſus, cognatis, amicis, ac benefactoribus meis, iiſque omnem eorum erga me benignitatem præmio rependas cumulatiſſimo. Divinâ tuâ commiſeratione omnes inſuper ubique Gentium Chriſtianum nomen profitentes intuere. Pace fruatur totus terrarum Orbis; ac præſertim

effloreat

efflorcat Res Anglicana, domi fœlix; glorioſa foris; ne ſinas autem, ut illa fœlicitas luxum, faſtum, ambitionem & vitiorum id genus illuviem invehat. Sereniſſimum Regem noſtrum, ad gloriam tuam & Eccleſiæ hujus, ac Reipublicæ præſidium, diutiſſimè conſerva. Fac ut omnes Magiſtratus ac Judices id unum, quod rectum & æquum eſt intueantur, & ſecundum id unum pronuncient. Benedicito illis qui pro officio ſuo benedicunt aliis, ad altare tuum miniſtrantes, eóſque omnes magis magiſq; ſalutaribus Spiritus ſancti donis locupleta. Effice ut Populus cunctos ſibi Præfectos in honore habeat, eorum dominationem æquo animo ferat, legibus & juſſis pareat, nihilque detrectet, quòd, Te propitio, ad communem ſalutem utile ſit. Hiſce meis precibus ac interceſſionibus aurem præbeas, propter magnum illum potentémque Interceſſorem, Jeſum Chriſtum, qui ad dextram tuam ſedet. *Amen.*

Pater noſter qui es in Cœlis, &c.

Die

Die Mercurij, Preces Veſpertinæ.

I.

GLorioſe Deus, ab omni ævo, & in æterna ſæcula benedicte, qui es ipſe Tibi tua beatitudo, naturámque numeris omnibus abſolutam, ac Majeſtatem ſummam poſſides; qui nec mali quicquam à quoquam Tibi metuis, nec boni ullius extra Te unquam indiges; ſed de tuo, prout placet, omnibus omnia largiris; quippe fons es omnium bonorum primus, & ſemper inexhauſtus. Adoro ſupplex æternam illam ac infinitam quam in Te ipſe habes complacentiam, illam Tui propriam ac pleniſſimam fœlicitatem. Atat! balbuties mera eſt, quicquid de tantâ fœlicitate, ac Majeſtate loqui conor; hic me deſtituit non ſolùm Sermo, ſed & cogitatio omnis, ubi contemplor Numen tuum perfectiſſimum, glorioſiſſimum, beatiſſimum. Liceat verò mihi, qui à Te ſeparatus non poſſim non eſſe miſerrimus, ad beatitudinem ac fœlicitatem, ad gloriam, gaudiúmq; tuum, pro modulo meo participandum ſedulò aſpirare.

Equidem fateor non eâ, quâ oportet, ardenti Pietate colui Te, fiduciam tamen veniæ

repoſitam habeo in ſummâ tuâ miſericordiâ, & merito ac interceſſione Soſpitatoris Jeſu Chriſti; nihilq; prius cupio, quàm Tibi deinceps acceptus eſſe, in reliquo vitæ brevis curriculo, perfectéque uniri Tecum, poſt hanc vitam, & plenitudine domus tuæ beari ac ſatiari. Inexplebilis alioquin eſt animæ meæ ſitis, impuris ac turbidis cujuſquam, vel etiam omnimodi ſimul terreni boni laticibus nunquam ſedanda: Te perennem boni fontem expetit, quo ut fruatur, non ſolum corporis miniſterio non indiget, ſed & eo, quale nunc eſt, ſeſe velut intergerino pariete, interclusam, & præpeditam, ſentit ac ingemiſcit.

O mi Deus! quamvis, uti ſpero, ſim eo animo comparatus, ut Tibi Domino meo me approbem, atque ſecundum Spiritum omni alacritate, ad juſtitiam ac ſanctitatem, quam à me exigis, contendere velim; tamen carnis ignaviâ ſemper oneror, quò minùs legitimâ Promptitudine pergam. Efficias itaq; quæſo, ut ſancta tua lex mihi nondum carnis mole expedito aſſiduus ſit aculeus, qui ad opus urgeat, néque deſidere non permittat. Sanctiſſimam enim perfectiſſimâmque obedientiæ normam nobis promulgaſti: quò etiam ejus amore ſimul & iniquitatis odio, corda noſtra imbueres, promiſſiones ac minas ſubjunxiſti. Cum perſpexeris magis caligare mentis noſtræ

ſtræ oculos, quàm ut ſolâ boni pulchritudine afficiantur, pro infinitâ tuâ indulgentiâ, nos ad Te amandum, & expetendum præmiorum dulcedine illicis, denuncians non operam fruſtra ſumpturum qui præceptis tuis fuerit obſecutus. Edicis etiam ex adverſo, non tantum eſſe execrabilem Tibi injuſtitiam, ſed nec impunè evaſuram: quòd ipſe contemptæ tuæ Majeſtatis ultor ſis futurus. Ac quò modis omnibus nos moveres, tam vitæ præſentis benedictiones, quàm æternam beatitudinem pollicitus es eorum obedientiæ, qui mandata tua ſervaverint: tranſgreſſoribus autem, non minùs præſentes calamitates, quàm æternæ mortis ſupplicium minatus es.

Ego tamen miſer, vitiorum blanditiis delibutus, tam ſanctæ legis præcepta violavi, nec promiſſionibus, nec minis, nec præmiorum ſpe, nec pœnarum metu ad juſtum ac debitum obſequium adduci potui. Adeo ut ſi meipſum duntaxat intueor, nihil aliud poſſim quàm animum deſpondere, quippe qui tam immenſo ſpatio me abeſſe ab eâ quam lex tua exigit ſanctitate cerno. In Chriſto tamen facies tua gratiæ ac lenitatis plena erga omnes relucet pœnitentes etiamſi indigniſſimos. Nudus igitur ac vacuus, omniſque meriti deſtitutus, ad miſericordiam tuam confugio; hanc unam pro juſtitiâ ac meritis ar-

ripio; in hanc penitùs me abdo, in hanc me totus reclino, quæ nobis tam luculentèr exposita eſt per Jeſum Chriſtum; cui, tecum, & Spiritu ſancto ſit omnis honor, laus, & gloria in ſempiterna ſæcula. *Amen.*

II.

UNiverſum genus Humanum lex tua, magne Cœli Terræque Domine, reum peragit; nec aliter quàm per gratiam pro juſtis haberi poſſumus; illam verò gratiam ſaluti hominum adeò neceſſariam, nemo quiſquam purus putus homo exiſtens promereri potuit. Quid enim homini ineſt, quid hominum præſtantiſſimo, quod ad juſtitiæ tuæ flammam non ardeat? Atqui quod nemo noſtrum promereri potuit, promeritus eſt certè atque obtinebit filius tuus unicus, Jeſus Chriſtus, juſtus pro injuſtis, potens pro infirmis, locuples pro pauperibus, gratus & acceptus pro ingratis, irámque & maledictionem tuam commeritis. Magnum illum Redemptorem, ac Mediatorem animitùs amplector, nihil dubitans, quin qui mille mundis ſervandis, ſi tot extarent, ſufficiat, innumerabilia peccata mea penitùs aboleat. Cúmque Chriſtus Dominus meus is ſit, quem ſequi ac imitari pro viribus me oporteat, tanquam unicum & abſolu-

ſolutiſſimum ſanctitatis exemplar; da quæſo ut vita ejus memoriæ tradita, mihi in totius vitæ regulam cedat, ad quam omnes meas cogitationes, affectus, ſermones, actionéſque componere ac dirigere ſtudeam: ut more inſtitutóque illius ad arbitrium nutúmq; tuum me totum fingam, boni cujuſque à Te præcepti obſervatione ſedulâ, malíque omnis prohibiti ſolicitâ declinatione.

Eâ mentis ſinceritate me imbuas, ut inter diſcordantium Sectarum pugnantes opiniones, quantum humana permittit imbecillitas, ab erroribus mihi caveam, nudámq; veritatem, omni præſidio humano deſtitutam, potiùs ſequar, quàm ſpecioſiſſimos errores, qui vel aſſentientium multitudine, vel Patronorum authoritate, vel commodis ac emolumentis hujus mundi ſe commendent. Ingenerato præterea animo meo divinam illam diſpoſitionem, quæ efficiat, ut me, meáſque omnes actiones ad Te referam, ad ſolam tuam gloriam ſimplici ſemper oculo collimans. Quod ſi mea ſeu dignitas, ſeu utilitas, voluptáſve, ſeſe aliquando interpoſuerit, operámque meam flagitaverit, per hæc tamen omnia, fac ut proſpiciam finem illum ſupremum cui iſta meritò ſubſervire debent; ut me meáq; univerſa Tibi addicens, poſtquam ſemel guſtaverim, quàm ſuavis ſit Dominus, flagrantiſſimo deſiderio

plenioris Tui fruitionem vehementer usque sitiam; hujus verò Mundi bonis sic utar, ut non fruar, imò sic utar, quasi non utar interim. Is mihi denique, Creaturarum omnium, & præcipuus finis & usus potissimus sit, ut scalæ & alæ fiant, quibus anima mea supra dumeta Sterquiliniáque Mundi hujus volitans, facilius ad Cœlum ascendat, & ad Te rerum omnium Creatorem aspiret, per dominum nostrum Jesum Christum. *Amen.*

III.

QUi bonitate, clementiâ, misericordiâ tam eximiâ, & nunquam finiendâ es præditus, Te ut par est summis laudibus ac benedictionibus, in singulos dies, noctésque singulas, Deus optime, maximè celebrare cupio. Tibi gratias ago quantas possum maximas, pro beneficiis tuis omnibus, sive spiritualibus, sive temporalibus, quibus vel Ecclesiam tuam, vel totum terrarum Orbem locupletasti; in primis verò pro spiritualibus, pro donatione Filii tui, missione Spiritus tui, mediisque omnibus, quibus hominem peccatorem, ad meliorem frugem revocare conatus es: pro iis quoque quæ in me speciatim contulisti, quòd ex Christianis parentibus fuerim genitus, verâ religione institutus, in participationem pretiosorum

tioſorum iſtorum munerum, Verbi tui, & ſacramentorum admiſſus, & conſequenter, quòd mihi nihil in id aut operæ, aut curæ conferenti media æternæ ſalutis adipiſcendæ obvenerint: Præterea quòd ſummâ in me patientiâ, ac longanimitate uſus pœnitentiam meam expectaveris, nec me ſuſtuleris è medio ipſis in peccatis: quòd me tam benignè vocaveris, ac invitaveris ad vitæ emendationem, idque non tantùm verbi miniſterio, ſed & interno arcanóque impulſu Spiritus; quò vocationes atque invitationes iſtæ aliquem in me ſortirentur effectum. Necnon Tibi gratias ago pro miſericordiis omnibus temporalibus, pro florenti Reipublicæ & Eccleſiæ ſtatu, pro variis malorum levamentis, quibus & hanc, & illam dignatus es, próque hujus vitæ bonis quæ ad rem privatam ſpectant, proſperâ valetudine, amicis, victu, amictu & id genus non paucis. Nunquàm potero vel centeſimam partem, quæ à Te accepi beneficiorum commemorare: at pro certo mecum ſtatuo, me minimis eorum quæ coram Te jam recenſui, ſatis obſtrictum teneri, ad totam vitam in laudibus tuis tranſigendam.

Cum autem tanta ſit tua bonitas, recipias me quæſo, benigniſſime Pater, in fidem & clientelam tuam hac nocte, ut divino tuo præſidio cinctus, ſecurúmque ſomnum ca-

piens, manè expergiſcar incolumis, atq; cum omni alacritate memet accingam, ad laudes tuas iterum celebrandas. Quas verò nocturnâ quiete reficiam, vires, eas omnes in diurno meo munere fungendo collocare cupio, ad nominis tui gloriam & ſalutem animæ meæ per Jeſum Chriſtum filium tuum chariſſimum. *Amen.*

IV.

DIgneris, quæſo, Deus optime, maxime, beneficentiâ, & favore proſequi, non me ſolùm, ſed fideles univerſos, quocunque in loco verſentur. Clerum noſtrum, & omnes ubique Gentium Tibi Sacros, ſacrarum Literarum recto illumines intellectu, flagrantíque afficias earundem amore, ut veritatem, pietatem, charitatem modis omnibus promoveant. Cœtibus Chriſtianis antiquius nihil ſit, quàm ut ſanctitatem non fucatam, cum intenſiſſimo pacis Eccleſiæ ſtudio ſectentur, atque fraternam inter ſe communionem colant, & conſervent. Meminerint Terræ Principes ſe non ſibi ſed Populo creatos eſſe, quique aliis præſunt eos omnes æquitatis tuendæ cauſâ, in Magiſtratu eſſe collocatos. Benedicas Regi noſtro Sereniſſimo, atque conſilia ejus & facta omnia ad

gloriam

gloriam tuam, & Ecclesiæ, Reíque publicæ pacem dirigas. Judiciorum Religionem sanctissimè colant Judices fidémque suam liberent, ad Justitiam unicam referentes omnia. Magistratus universos instrue prudentiâ, fortitudine, & aliis virtutibus, quas illius quo funguntur muneris magnitudo postulat, ut populus iis obtemperans & se subjiciens, piam, probam, tranquillámque vitam agat. Recordare omnium auxilio tuo indigentium, iísque sis adjutor in tempore opportuno. Hæc concedas propter Jesum Christum, cujus meritis fretus, orationéque utens iisdem verbis Te precor, quibus ipse precandum statuit.

Pater noster qui es in Cœlis, &c.

Die Jovis, Preces Matutinæ.

I.

MAgne Deus, universitatis rerum omnipotens Opifex, Moderatórque; Liceat mihi peccatori supplici, mendico miserrimo, rerumque omnium egentissimo, Te adire Cœli Regem, summè misericordem, munificentissimum, ditissimúmque, qui rogari, largiríque cupis maximè, qui quòd donas possides intereà, & cui quantumcumque decesserit, nihil suppetit minus. Quò enim in omni meâ indigentiâ memet conferrem, nisi ad inexhaustum boni fontem? Quò in miseriâ, nisi ad Patrem misericordiæ? Quò in periculis ac angustiis, nisi in validam salutis arcem, æternúmque sinum fœlicitatis?

Sicut in meipsum descendens tenuitatem, paupertatem, impotentiam meam non obscurè, nec sine dolore contemplor; ita si præsidia quæro, quibus mihi succurram, non de meo, sed aliunde illa mihi comparem oportet. Verùm ut bono animo sim, Te mihi, benignissime Deus, ultrò & liberaliter in Christo tuo exhibes, in quo pro meâ miseriâ

feriâ omnem beatitatem, pro meâ inopiâ opulentiam offers; in quo cœleſtes theſauros mihi aperis, ut dilectum filium tuum tota fides mea intueatur, ab ipſo tota mea expectatio pendeat, in ipſo tota ſpes mea hæreat, & acquieſcat. Hanc divinam ſapientiam doce me, precor, & oculos meos aperi, ut in tuo lumine lumen videam. Cúmq; edoctus ſim agnoſcere, quicquid mihi neceſſe eſt, mihíque apud me deeſt, id in Te Deo meo eſſe, & in Domino meo Jeſu Chriſto, in quo ſcilicet omnem largitatis tuæ plenitudinem reſidere voluiſti; quid ſupereſt niſi ut in Te per Chriſtum quæram, atq; à Te precibus poſtulem, quod in Te eſſe didici.

Neminem rejicis qui humili fiduciâ ad divinam tuam Majeſtatem ſe confert. Te igitur adire cupio, qui pro ſummâ tuâ clementiâ, & benignitate, me ad gratiæ ſolium invitas. Mihi, quæſo, ingeneres veram vivámq; fidem, per quam ad invocandum nomen tuum animus meus formetur. Largire mihi Spiritum adoptionis, qui teſtimonium Evangelii corde meo obſignans, erigat Spiritum meum, ut vota exponere Tibi audeam, mentémque meam à Terrâ abripiam, & ab humanarum curâ rerum ad Te, mi Deus, eveham.

Nullis verbis explicari poteſt quantum privilegium ſit, hæc Tecum communicatio, quam

Orationis

Orationis obtineam beneficio, quâ ad eas, quæ filiis tuis apud Te repoſitæ ſunt, opes penetrem; quâ Cœli Fanum ingreſſus de tuis promiſſis Te coram appellem, qui non ſolùm promittis, ſed omnium promiſſorum fidem præſtas, & in æternum præſtabis. Itaque, licet nocens, in tuâ miſericordiâ ſpem pono, veniam opémq; tuam expecto: quoniam pœnitentibus Te propitium fore verbo tuo teſtatus es.

Fateor equidem non paucis Vitiis maculatas eſſe ipſas preces meas, in quas ſi ſummo rigore inquiras, nec humilem devotionem, nec Zeli ardorem, neque vota rectè compoſita invenire licet. Non quâ par eſt infinitæ tuæ Majeſtatis reverentiâ Te invoco, nec ſemper mentem ſurſum tollo ad puram caſtámq; Tui venerationem. Cum frigore meo ſæpe luctandum eſt, nec me mea egeſtas & miſeria ſatis acriter pungit ad ſeriò precandum. Quantâ nonnunquam Profanatione cultum tuum pollui, cum quas Tibi offero precibus animum non attenderim, ſed Te accedens, déque re graviſſimâ, ſalutem meam tam intimè ſpectanti, tecum acturus, magni illius negotii medio in ſermone ſim oblitus, atque res leviculas, quas vel imaginatio mea, vel diabolus ſuggeſſerit ſectatus fuerim? Eheu! perditus homuncio ad pedes tuos advolutus,

ut

ut ſceleris mei pœnas deprecarer, abruptâ penitùs ſupplicatione, mentem meam non rarò mundanis ac carnalibus cogitationibus diſtrahi paſſus ſum; quaſi ſperari poſſit, ut quibus mens mea abeſt, illis Tu precibus aurem admovere, annueréque digneris.

Atqui iſtam meam infirmitatem lugubriter deflenti, hoc mihi eſt unica ſolatio, Te videlicet clementiſſimum eſſe, & ad miſericordiam ſummam propenſiſſimum, adeò ut penè poſſit ambigi, ſiſne ad iraſcendum tardior, an ad parcendum promptior? Tu certè bonus es omnibus, & in omnia tua opera præditus es lenitate. Ecquid enim eſt tuæ benignitatis expers? imò quid uſquam eſt in rerum univerſitate, quod clementiam tuam vel eo ipſo non teſtetur, quòd tot modis contaminatum mundum tam multis jam ſæculis feras. Tu ſemper placabilis es & reconciliatu facilis, ſimulatque qui iram tuam incitavit peccator redire ad officium velit. Aliquando etiam ut miſericordia tua illuſtretur, vel precibus, quas impiis ac incredulis ex naturæ ſenſu neceſſitas extorquet, Te propitium eſſe eventus docet. Quod ſi ne malis quidem negentur ſua vota, nec profani ejulatus careant interdum profectu, hoc documento luculenter probas, quàm ſis exorabilis erga pœnitentes, ubi ad Te placandum vera affertur converſio.

Fateor,

Fateor, Domine, preces meas ſæpe nimis in peccatum commutatas, meritò deteſteris; at his ipſis precibus, quales quales ſint, juſto mœrore ob offenſas proſtratus vindictam tuam humiliter deprecor. Illud autem ardenter à Te peto, ut animum meum attentum reddas, eámque mihi Numinis quod adoro reverentiam imprimas, ut ne deinceps in conſpectu tuo ineptire, aut nugari audeam. Nec ſim ſolummodò eò uſque attentus, ut quæ à me dicta ſint teneam, ſed da quæſo, ut quantum exuſcitare poſſum fervore maximo, ac devotione accendar; precibúſque meis eâ mente, eóque affectu Tibi, Pater, oblatis benignè annuas, propter Jeſum Chriſtum, magnum illum pro nobis Deprecatorem. *Amen.*

II.

IMprimas animo meo, Deus optime maxime, piam & religioſam ineffabilis diſtantiæ, quâ me ſuperas, opinionem, ut de ſuprema Majeſtate tuâ & abjectiſſimâ meâ præ Te, tenuitate, ac prorſus vilitate perſuaſus, ad Te ſummo proſequendum honore, ad infinitæ tuæ Sapientiæ auſcultandum, aç voluntati tuæ per omnia obtemperandum, paratus ſemper & promptus efficiar.

Illumina

Illumina mentis meæ oculos in cognitione Chriſti; libera me à falſo & corrupto de Religione judicio, quod ducit in errores, & veritati tenebras obducit; nec patere doctrinam Chriſtianæ fidei, quæ in ſe pura eſt ſicut lux, in me unquam tenebras fieri. Evolve velamen illud, quod mihi veræ lucis uſum adimit, ut arcana perquam admiranda ex illâ Doctrinâ tuâ cœleſti emicantia conſpiciam pariter & ſuſpiciam. Hoc in Mundo peregrinor, aliò nempe ad meliorem in Cœlis vitam contendens: Itaque Præcepta tua, quæ eò nos deducunt, ne celato me, cui animus languet perenni legum tuarum cognoſcendarum, ac præſtandarum cupiditate. Ne ſinas ut ipſa, quam in viâ ad fœlicitatem conſtituiſti ducem, Religio à me corrumpatur; ut ipſe cibus animæ tranſeat in venenum. Ne ſit conſcientia mea erronea; ne ſint falſa & fallacia actionum mearum principia, ſed vel quæ natura rectè doceat, vel quæ ſacris in Scripturis fixa, in me firmiſſimè ſtabiliantur.

Dirige motus animi omnes, ſive ſint cogitationes, ſive appetitus, ut cogitatione ad res quàm optimas utar, appetitum rationi obedientem præbeam. Effice, & conſerva me pium, bonum, integrum, gravem, apertum, juſtitiæ ſtudioſum, benignum, humanum, ad tuendum officium fortem. Ita me Spiritu tuo guberna,

ut

ut in omnibus conſiliis, atque factis ſemper in promptu habeam, quantum natura hominis pecudibus antecellat. Cúmq; corporis voluptas non ſatis digna ſit hominis præſtantiâ, fac ut eam contemnam & rejiciam, ne ex pecudum genere eſſe videar, & homo quidem non re ſed nomine. Aut ſi quid tribuam voluptati, diligenter teneam eſſe ejus fruendæ modum, méq; non à Te creatum eſſe ad ludum & jocum, ſed ad ſeveritatem potiùs, & ad quædam ſtudia graviora atque majora.

Utinam eâ imbuar Sapientiâ, ut quicquid mihi accidere poſſit id præmediter, ferámque modicè, ſi advenerit: eâ porrò ſim fortitudine, ut omnia humana deſpiciens, nihil in hoc Mundo extimeſcam; eâ denique fide ac bonitate, virtutíſque perfectione, ut ne cogitare quidem quicquam audeam, quod non audeam prædicare; nullâque re commovear, quæ ſpeciem utilitatis, aut voluptatis attulerit, cui cum animum attendero turpitudinem videam conjunctam: Quin potiùs ita colam tam mentis, quàm morum puritatem, ut idoneus reddar ad participandam ſanctorum ſortem in luce, per Jeſum Chriſtum Dominum noſtrum. *Amen.*

III.

QUi Vitæ meæ novum diem adjeciſti, Benigne Deus, me præveni hac matutinâ horâ divinæ tuæ gratiæ clementiſſimo auxilio, perpetuâque proſequere benedictione. Sine tuis auſpiciis, tutelâque tuâ, nec labor in negotiis, nec fortitudo in periculis, nec induſtria in agendo, neque celeritas in conficiendo, neque conſilium in providendo quicquam proficere aut valere poteſt. Quotidianis igitur invocationibus meis in tuam fidem, miſericordiámque confugio. Atque quotidiana Tibi laus debetur, qui ovare facis exitus Matutini & Veſpertini temporis. Ad hunc uſq; diem, beneficiſti mihi in omni vitâ, meliùs facies, uti ſpero, cum moriar, optimè omnium in vitâ æternâ. Quicquid eſt in me boni, id tuæ unius gratiæ opus agnoſco, qui omnia ejuſmodi operaris in omnibus. Innumeris quidem beneficiis tuis, ornatus, auctus, arctiſſimè devinctus, nullum grati animi officium prætermittere debeo, nihilq; colere, aut celebrare præter Te unum. Nunquam verò mihi, nunquam aliis quibuſvis ex toto hominum genere ſatis magnificè pro merito immenſam tuam bonitatem extollere licebit, qui unigenitum filium in mortem pro nobis dede-

ris, ut nos miseri peccatores, iræ, execrationique tuæ subjecti, atque æternis obnoxii cruciatibus, à diro funestóque peccati & miseriæ statu eximamur, & ad æternam felicitatem perveniamus.

Quantæ & quàm immortales Tibi à me gratiæ agendæ sunt, quòd Tu, Deus, sis Pater noster, quòd sit Redemptor Christus, consolator Spiritus, ministri Angeli, Mundus hospitium, Cœlum patrimonium, quòd sub tuæ Providentiæ moderamine, tot sint beneficia, mala medicinæ, mors denique lucrum? Tua erga tuos charitas, benignissime Pater, tanto major præstantiorque est omni parentum aliorum Charitate, quanto ipse omnes homines bonitate ac misericordiâ superas. Si quotquot in Terris sunt Patres, omni paternæ pietatis sensu exuti, filios destituerent, Tu tuis nunquam defuturus es. Quanquam possunt isti Patres liberos deserere, possunt & Matres suæ sobolis oblivisci, nunquam tamen Tu tuorum obliviscaris. O immensas & æternas opes divinæ tuæ gratiæ in Christo nobis comparatas! Solatio quidem omnibus Mundi thesauris longè anteferendo famulum tuum afficere dignaris; siquidem mihi mea peccata remittere velis propter Jesum Christum, cui, Tecum, & Spiritu Sancto sit omnis honor, laus & gloria. *Amen.*

IV.

IV.

QUemadmodum universum orbem ad electi tui populi salutem abs Te conditum, omnipotens Deus, admirandis video pulcherrimisque ornamentis insignitum, sic precor ut Ecclesiam tuam, quæ cœtus est servandorum, digneris illustrare atque excolere, quò non minus in illâ atque in universo Dignitas tua effulgeat. Faxis, quæso, ut Christus Dominus noster, vitæque formator optimus, ita ut par est regnet in animis hominum Christianorum. Siste præcipites Errorum cursus, luxuriantes Hæreseôn impetus reprime, grassantem compesce pravitatem morum, languentes & penè mortuas Sacratarum Legum vires recrea, ut potenti tuâ virtute, Ecclesia tua in primævum robur, ac pulcritudinem renovari possit. Imbue Principum animos eâ Numinis supremi reverentiâ, ut agnoscant se in Mundi administratione ministros tuos, & in hoc regnent, ut tuæ gloriæ serviant. Divino præsidio Regem nostrum incolumem tuere, donisque præstantissimis magis ac magis exorna, ut nunquam non Zelo agatur, ad stabiliendam Religionem, Justitiam, & Pacem. Eos semper Præsules habeat Ecclesia Anglicana, qui non in Authoritate modò Episcopali, sed in omni pietate & virtute,

quâ germani Ecclesiæ Patres constituuntur, Apostolis succedant. Clerus totus Sacrarum literarum recto illuminetur intellectu, saluti animarum seriò consulat, cœlestique suo munere summâ cum curâ ac diligentiâ fungatur. Universus Populus secundum Te, Principibus atque Gubernatoribus suis se morigerum præbeat, idque lubentèr atque ex animo: neque adeò metu ipsorum aliquo, sed multò potius Tui timore, cujus autoritatem in terris administrant. Omnes denique omnium generum & conditionum homines, honorem singulis suum deferant, & officia præstent unicuique idonea, pro loci vel ordinis sui dignitate, sive superiore sive inferiore: ut vigeat apud omnes mutua charitas, eximium illud humanæ societatis vinculum, summáque Christianæ vitæ perfectio, cui salus nostra, pax, & fœlicitas, tam æterna, quàm temporaria, plurimùm innituntur. Hæc oro Te supplex propter filium tuum, quem voluisti esse victimam pro peccatis nostris, ac Mediatorem perpetuum. *Amen.*

Pater noster qui es in Cœlis, &c.

Die Jovis, Preces Veſpertinæ.

I.

O Deus, qui ſemper fuiſti, ſemper es, & eris idem; perfecta tua eſt & ſtabilis, atque in eodem fœlicitatis veſtigio conſiſtens immutabilitas; cúmq; omnia per hanc rerum humanarum viciſſitudinem videat agi, volvi, revolvi, tota ſibi hæret ſine ullo ſui aut diſpendio, aut incremento. Tu à Teipſo vitam ac immortalitatem habens in Teipſo ſemper es placidiſſimus, lætiſſimus, beatiſſimus, ipſius etiam vitæ æternæ gratioſè nobis in Jeſu Chriſto promiſſæ, ſupremus author, ac largitor unicus. Concedas mihi, quæſo, ut poſthabitis omnibus rebus mundanis ad cœleſtem illam & æternam beatitudinem jugiter aſpirem, eámq; propter merita filii tui chariſſimi, certâ fide expectare, atque firmiter ſperare audeam. Da etiam ut fides illa illáque ſpes ſerium puritatis ac ſanctimoniæ ſtudium in me accendant.

Fateor equidem, vanâ, incertâ, fallacíque ductum opinione, vitam egiſſe me confuſam, ac perturbatam; animus perquàm inſtabilis fuit, huc illuc fluctuans, vacillans, hoc cupiens

hodie, cras idem ſpernens. Tum quidem, cum affligor malis, neceſſitate preſſus memoriam Tui facilè recolo: ſed ſimulatque illis malis ſum perfunctus, ac liberatus, quum jam ex animi ſententiâ res ſe habent, tum citò nimis omnem Tui recordationem ex animo meo ejicere ſoleo; quódque porrò audiat indignius, parum abeſt quin, quaſi equus delicatè ſaginatus, ferocire incipiam, atque in ſummum benefactorem calcibus inſultare.

Te mihi Patrem optimum, maximum exhibuiſti, ego tamen, quæ mea fuit extrema ingratitudo, non viciſſim Tibi, ut filium decet, morem geſſi. In Chriſto me adoptare dignatus es, Chriſtum tamen adoptionis meæ Vinculum vita mea parùm repræſentavit. Filius ille tuus ſanguinis ſui lavacro me purificavit, & hanc purificationem communicavit per Baptiſmum; novis autem ſordibus me ipſe inquinavi; ſuo me corpori inſeruit, mihi tamen, qui ſum ejus membrum, labes & maculas aſpergere auſus ſum: ille idem qui Caput eſt meum in Cœlum aſcendit; attamen ego terrenos affectus deponere nolui. Quanquam etiam Spiritus ſanctus me Templum Tibi dedicavit; Verumtamen haud operam dedi ſedulam, ut gloria tua per me illuſtretur, ſed Templum Tibi ſacrum peccatis pollui. Anima mea & corpus, cœleſti incorruptioni,

& immarceſſibili coronæ deſtinata ſunt, neq; tamen ea pura & incorrupta in diem Domini conſervavi. Hei mihi! Corpore, animâque tam inquinatâ, quantæ ſim offenſioni Spiritui illi columbino, qui in cordibus puris, rectiſq; candidis tantùm inhabitat, immundis ac ſordidis abſtinet & avolat. Utinam inexhauſto lacrymarum fonte, ac ſeriâ pœnitentiâ per totam vitam agendâ & animam & corpus purgem.

Atat! Conſcientiæ meæ labes nec diuturnitate vaneſcere, nec ullis lacrymarum amnibus elui poteſt, niſi Tu Deus mihi propter Chriſtum propitius, cor mundum creare in viſceribus meis, & depravatam meam voluntatem inſtaurare digneris. Oro Te igitur, Pater ſummè miſericors, ut omnes reliquiæ corruptionis ac pravitatis, quæ in me inſident, perfectâ Filii tui ſanctimoniâ abſorbeantur ac ſepeliantur, potentique aut corrigantur, aut repellantur Spiritus tui virtute; ſiquidem utriuſque robur ad me ſanctificandum longè ſuperat corruptionis vires ad me polluendum, Ita demum ſpe bonâ in Te recumbam; cum in Chriſto Jeſu non carnis ſed Spiritus arbitrio paream, cum à lege peccati atque mortis liberatus fuero, per legem Spiritus vitalis in Jeſu Chriſto. *Amen.*

II.

O Deus, qui omnes in animo meo latebras, omnésque recessus perspicis, ignosce precor, famulo tuo pœnitenti, qui licet humano more erraverim, ac aliquando graviter in Te deliquerim, non perseverare in ullâ noxâ, sed ab erroribus peccatisque omnibus me revocare quantum in me est molior. Equidem fateor pravis meis cupiditatibus nimium indulsi, atque calamitates plus metui, quàm crimina. Jam verò nullum malum majus esse duco turpitudine, quæ quidem in deformitate corporis habeat aliquid offensionis, at longè graviorem in depravatione, ac fœditate animi. Doceas me, quæso, refrænare libidines, iracundiam tenere, spernere voluptates, coercere avaritiam, in omni vitâ perturbationes fugere, & motus animi nimios, rationi non obtemperantes; ut moderatione atq; constantiâ polleam, quietus sim, mihiq; ipse placatus; ut neque molestiis tabescam, neque frangar timore, nec sitienter quid expectans ardeam desiderio, nec alacritate futili gestiens deliquescere videar.

Largire mihi animum fortem, purum, cœlestem, divinum, qui omnia quæ sub sensum cadunt, facilè contemnat, ac præsertim ea quæ

vel

vel lenociniis alliciunt, vel difficultatibus ac doloribus terrent, vel faſtu ſuo inflant. Precibus omnibus id unum ſummoperè peto, ut me verè bonum efficias, néque verâ impertias ſapientiâ, quâ nihil à Te uberius, florentius, præſtabilius hominum generi dari poteſt, quâ præceptrice in tranquillitate vivam, quâ duce non ſolùm judicare poſſim quid faciendum, non faciendúmve ſit, ſed ſtare etiam in eo quod ſit judicatum. Is prætereà in me regnet juſtitiæ amor, ut malim omnia incommoda ſubire, quàm alterum violare, clarè ſciens, ſempérque tenens, detrahere alteri aliquid, & alieno incommodo meum commodum augere, magis eſſe contra naturam, quàm mortem, quàm paupertatem, quàm dolorem, quàm cætera quæ poſſunt aut corpori accidere aut rebus externis; quippe quod tollit convictum humanum, efficítque ut ſocietas hominum ac communitas funditùs evertatur.

In me aboleas, obſecrò Te, miſericors Deus, omnem in omnia peccata affectum, non in graviora ſolùm, ſed etiam minima & leviſſima, quæ tantò majorem maculam moribus incutiant, quantò faciliùs poſſint evitari. Securim admove ad impuri mei cordis radicem, & ipſas minutiſſimas vitiorum fibras penitùs excinde. Utinam nihil agam aut velim quod non conſcientia & honeſtas jubeat, eámque

vitam

vitam ſexcentis mortibus triſtiorem eſſe cenſeam, quæ Deo & probis diſpliceat. Quantum verò conniti animo poſſum, quantum labore contendere, Oſi tantum ego in virtutis ſtadio efficiam: neve committam, ut cum mihi à Te omnia ſuppeditata ſunt, ipſemet mihi defuiſſe videar.

Nolim unquam deinceps exiſtimare firmum illud mihi, & ſtabile permanſurum, quod fragile & caducum ſit; quin potius cogitem indies, quàm ærumnoſa, quàm fugax ſit vita præſens, quàm undique imminens inſidioſa mors, quàm paſſim opprimat inopinantes; & cum nemo de momento vitæ ſecurus ſit, quàm ingens ſit periculum, iſtud vivendi inſtitutum tenere, in quo ſi mors ſubitanea me deprehenderit, in æternum periturus ſum.

Ea propter majorem in modum à Te peto, ut gratiâ tuâ ſuffultus viam ſalutis non cunctanter, non timidè, ſed certo propoſito, toto pectore, animóque fidenti capeſſam; nihílq; hæſitem de promiſſis divinis, paratus vel rei vel vitæ diſpendium pro Chriſto ſubire, quò tandem è corporis diverſorio in cœleſtem domum migrare poſſim; ubi ſempiterno ævo frui, eámque vitam agere liceat, quæ nec temporum metis, nec fœlicitatis modo circumſcribitur; ubi æternitas ſine labe, ſine nube ſerenitas, ſanitas ſine infirmitate, ſine deformitate

mitate pulchritudo, jucunditas ſine mœrore, ſine errore ſapientia, lux ſine tenebris, dies ſine nocte, vita ſine morte. Ita me tandem, Pater optime, beare digneris, propter immortale meritum Domini noſtri Jeſu Chriſti. *Amen.*

III.

Ecquam Tibi, Omnipotens Deus, gratiarum actionem referre debeo, propter tot & tanta quibus me tuum affeciſti beneficia? Ego miſer homuncio pœnis omnibus obnoxius, præmiis indignus, nec neceſſaria vitæ, nedum oblectamenta, vel extremo digito, vel primoribus labiis attingere promeritus ſum. Attamen non modò uſum terræ & infinitorum bonorum, quibus illa exornata eſt, mihi benignè conceſſiſti, ſed è reliquâ Mundi colluvie ſelegiſti me, quem in Eccleſiam tuam admitteres, in cœleſti tuâ doctrinâ inſtitueres, ſacramentis aleres, Filii ablueres ſanguine, Spiritus ſancti gratiâ imbueres, & ad ſpem erigeres, glorioſæ, ac beatæ immortalitatis.

O Deus, qui ſummâ perpetuâque bonitate præditus es, cum nullum ſit beneficii genus, quo non me cumulaveris, quid Tibi rependam pro tot tuis adverſum me meritis, quorum immenſâ mole magis obruor, quàm ut referendæ

rendæ gratiæ par esse queam? Tibi verò mea vota solvam, atque sacrificium laudis in singulos dies toto animo, totisque viribus faciam.

Jam quæ die elapso me à periculis omnibus tutum servavit, Clementiæ tuæ per instantem noctem me meáque commendo atque trado; demissè rogans, ut sub alis Providentiæ tuæ placidâ fruar quiete, Tibíque curæ sim, qui nunquam dormis, dum ego somno detentus saluti meæ adeo non consulere, ut de eâ ne cogitare quidem possim. Concedas denique ut nocturnâ requie recreatas vires obsequio Tui totis addicam; ut post dies atque noctes paucas, quas vitæ brevis habeo reliquas, ad æternam illam quietem pervenire liceat, quæ fidelibus omnibus reposita est in Cœlo, per Jesum Christum Dominum nostrum. *Amen.*

IV.

PRECES meas coram Te fundo, benigne Deus, non pro meipso solùm, sed pro aliis omnibus, ignotis pariter ac notis, sive amicis, sive inimicis; at pro iis præcipuè, quibus necessitudinis alicujus, aut publicæ, aut privatæ vinculo conjungor; atque ante alios pro iis, qui vel Reipublicæ, vel Ecclesiæ præsunt,

præſunt, ut illos omnes pro diverſis eorum officiis, occupationibus, ac conditionibus, bonorum omnium ſpiritualium perinde ac temporalium, quatenus Tibi viſum fuerit, copiâ locupletare, omnéque malum ſive pœnæ, ſive culpæ ab iis depellere digneris. Pro Regè autem noſtro, quàm ardentiſſimè à Te contendo, ut porrò illum Spiritu tuo regas, ac moderetis; & ſi ſic voluntas tua, quæ ſola eſt ſancta, ferat, in annos plurimos, hujus Eccleſiæ, ac univerſi Regni, totiúſque Chriſtiani Orbis bono, ſerves incolumem.

Floreat etiam Stirps regia, germinéntque Stemmata Nobilium, ac Generoſorum Equitum, ut patulis eorum ramis obumbrata plebs, fœliciter ſuccreſcat. Denique ſaluti omnium quò melius conſulatur, continuis Providentiæ benignæ excubiis cuſtodito Vigiles, & Paſtores gregis tui, præcipuè quos in ſublimi ſpeculâ conſtituiſti, Archiepiſcopos, ac Epiſcopos omnes, ut ſub eorum auſpiciis caput ubique exerat pietas, ardeántq; Gentis hujus incolæ tanto veritatis, pacis, juſtitiæ, atque charitatis amore, ut eas magis ament, quàm ſeipſos.

Tum verò maximè pauperes, infirmos, ægros, calamitoſos, afflictóſque ope tuâ ſubleva, fractos, ac penè diſſipatos reſtitue, conſternatas

fidelium

fidelium conscientias propitio tuo favore recrea atque refocilla; ut ab ærumnis ac periculis erepti, nomen tuum celebrent, Pater misericors, qui solicitorum preces non asperneris, propter ea quæ passus est Filius tuus Jesus Christus. *Amen.*

Pater noster qui es in Cælis, &c.

Die Veneris, Preces Matutinæ.

I.

MAgne benigneque Deus, aquæ vivæ, lucis cœlestis, perfectæ beatitudinis tons inexhauste; apud quem integra omnis boni laus & gloria in perpetuum residet. De infinitâ tuâ Essentiâ, nec sine soloecismo verba facere, nec sine extasi cogitare possum: neq; sane id potest vel Angelica lingua, vel Seraphicus intellectus. Te comprehendere posse, tuæ solùm ipsius naturæ proprium est: nullam creaturam Tui capacem condidisti. Cum autem Numen tam excelsum nec eloqui verbo, nec animo concipere fas sit, quanto minùs id fas est, tanto magis cupio, quod rebus omnibus usque adeò excellit, & humillimâ

millimâ adoratione, & amore prosequi fervidissimo.

Tam locuples tam immensa est tua bonitas, ut licet semper sit sui diffusiva, eam tamen nulla vel tantillùm minuat munificentia, nedum exhauriat; nec periculum subest ullum, ne liberalitate pereat liberalitas: quanquam interea erga creaturas omnes, benignissimè omnia & benevolentissimè facis.

Quantùm fuit vel unum illud Creationis beneficium, ob quod non parum Tibi debeo, sed totum ipsum quod sim? Quin si ob primum illud munus adeo devinctus Tibi obstrictúsque tenear, quot nominibus obligatus fuerim, ob innumera alia mihi nihil quicquam merenti impertita, imprimis autem ob Redemptionem, per unigenitum tuum Filium, quem ad supplicium tradidisti, ut me perditum in integrum restitueres.

Atat! non obstante incomprehensi illius amoris tui sensu, peccatum admisi, lethiferum peccatum, quod Numen infinitum læsisse, cuique expiando Servatorem meum clementissimum in crucem actum esse non ignoravi. Vivifici quidem lavacri mysteriis initiatus, nomen dedi Christo, Deo optimo, maximo, cui bis vitam debui, pariter donatam & restitutam, cui plusquàm meipsum debui. Ingratissimus verò mortalium pactam illi fidem, sanctissi-

ſanctiſſimiſque cæremoniis ictum fœdus nefariè violavi, atque, unde me ſanguinis ſui pretio redemit, ad hoſtem deſcivi, neque metu tanti Ducis coercitus, cum ſit Deus, neque amore prohibitus cum meâ cauſâ ſit homo.

Equidem ſciens, videns, volens, id feci ſæpiùs, in quod ſummâ cum indignatione excandeſcas, quódque non modò Tibi injurioſum, ſed mihimet ipſi grave ſit, & maximè perniciosum. Plus ſatis expertus ſum, quàm breve ſit perceptæ ex peccato voluptatis momentum, cujus initio finis cohæret, utríſque in unum punctum conjectis metis: attamen miſer & inſanus ob tam brevem Voluptatem, vix priùs admiſſam, quàm amiſſam, me pœnæ obnoxium reddidi, quæ nullius temporis circumſcripta ſpatiis, omnia ſuperat durando, ipſi æternitati coæva.

Tu verò, Deus miſericors, ignoſce quæſo tantæ huic pravitati, ac ſtultitiæ meæ, qui Tibi quidem reſtiti, divinâque tua monita rejeci, ſed jam ad Te revertor. In Filii tui ſanguine, in fonte patente in ablutionem omnis impuritatis, ablue peccata mea, penitúſq; tolle prævaricationis meæ ſordes. Largire mihi cor contritum, ſauciatum, & abjectum quò tantus peccator ad humilem animi demiſſionem, juſtúmq; doloris morſum deducar,

ſed

ſed tandem erigendus, vi & efficaciâ Spiritus tui, qui lucem è tenebris eliciat, atque ex triſtitiâ gaudium. Promiſiſti Te effuſurum Spiritum tuum ſuper ſitientem, & flumina ſuper aridam: effundas illum, precor, in me ſitientem, in animam meam valdè aridam, ut arcanâ ſuâ irrigatione, ad germina juſtitiæ proferenda me fœcundet, nec ſim deinceps infructuoſus ſervus, verùm in ſanctitate ac innocentiâ coram Te perpetuò gradiar, per Jeſum Chriſtum Dominum noſtrum. *Amen.*

II.

OMnipotens Deus, qui admirandâ Providentiâ ſingulis proſpicis creaturis, ne patiaris obſecro Te, perturbato rerum ordine affectus corporis rationi meæ præire, cogíque facultatem ſuperiorem, in inferiorum ſententiam diſcedere; ſed ita diſpone facultates meas, ut mens corpori ſine negotio imperet, ut corpus animo lubens, volénſque pareat. Doceas me appetitus omnes ita contrahere & ſedare, atque ita excitare animadverſionem, & diligentiam, ut ne quid temerè, fortuitò, inconſideratè, negligentérque agam. Eâ me ſinceritate imbuas, ut in omni vitâ à rectâ conſcientiâ tranſverſum unguem non diſcedam; nihílque divitiarum, potentiæ, do-

minationis, aut voluptatis causâ improbè faciam, quanquam id hominibus omnibus futuram sit semper ignotum, quanquam nemo sciturus, nemo ne suspicaturus quidem sit.

Utinam ad omnes sordes abluendas, moresque componendos, conscientiam meam sedulò perlustrem, curamque præcipuam animo impendam, ut quæ excellentiâ multò prior sit, non sic cultu posterior. Victum verò cultumque corporis ad valetudinem referam, & ad vires, non ad voluptatem, semperque considerem, quàm sit turpe diffluere luxuriâ & delicatè ac molliter vivere: quámque honestum, parcè, continenter, severè, sobriè. Decora jugiter in ore meo certiatur modestia, in oculis pudor, in verbis cautio, in colloquiis veritas, in cibo, potúque parsimonia; nihilq; à me neque in factis, neque in dictis prodeat, nisi ex optimâ disciplinâ, atque ex sanctissimis moribus: quin Christi Doctrinam ex animo sectans, non solùm nomine, sed re verâ Christianum esse memet ostendam, tum sermonibus, tum actionibus tanti nominis prærogativæ consentaneis.

O si Te semper amassem, Pater clementissime, nec res perituras ac viles dilexissem; jam verò summo amoris ardore, firmissimâque stabilitate & constantiâ, me Tibi devovere cupio: jam toto corde, Tibi studeo, totóque

pectore

pectore Te requiro, ut in mente meâ tua recondam præcepta, ne quâ cupiditate abreptus à lege tuâ aberrem: jam divinæ tuæ voluntati ita meam postpono, ut eam à me penitùs ablegare, imò interimere, & in ejus locum tuam substituere velim.

Perfice, quæso, quicquid in me boni operis inchoasti: Tibi enim prorsùs acceptum referre debeo, quòd ullum recti amorem concipit voluntas mea, quòd in ejus studium inclinet, quòd ad ejus sectandi conatum incitor & moveor: Da igitur ut electio, studium, conatúsque meus non satiscant, sed ad effectum usque procedant; ut in illis constanter pergam, & ad vitæ finem usque perseverem.

Cum autem jam pro consuetâ benignitate tuâ, exortum hujus lucis prosperum esse mihi volueris, per totum, quæso, diem, me tuum & à calamitatibus incolumem, & à peccatis immunem conserva, honestósque meos fortunato labores, ut quod instituí feliciter cedat, in honorem tuum, & salutem meam per Dominum nostrum Jesum Christum, qui vivit & regnat, unà tecum, & cum Spiritu sancto, unus Deus in sempiterna sæcula. *Amen.*

III.

ELegisti, Deus, optime Pater, fideles homines per universum terrarum orbem sparsos, Jesu Christi sanguine redemptos, ut sint hæreditas tua, populus tuus, & oves pascuæ tuæ; conserva, quæso, institue, fove, orna hanc tuam hæreditatem. Da ut apud omnes Christianos non solùm Veritas justitiáque, sed pax colatur & mutua tolerantia; quò depositis odiis, ac inimicitiis, sincerâ alii alios charitate complectamur, omniúmque fidelium anima sit una, & cor unum. Quòd si remaneat Opinionum diversitas, eliminentur saltem ex orbe Christiano, acres istæ animorum contentiones, immitésque sententiæ, quibus alter alteri est anathema. Effice præsertim ut Ecclesia Anglicana veritatis ac pacis conservatrix floreat, nec unquam res suas eò redactas sentiat, ut cum utriusque dispendio inimicorum cogatur captare malesidam gratiam.

Serenissimum Regem nostrum omni digneris beneficentiâ prosequi, consiliis ejus præesse, justis conatibus favere, actiones secundare, totíque regimini benedicere cumulatissimè, ad nominis tui gloriam, & commune bonum. Sint Magistratus nostri fortes, justi,

graves,

graves, magnanimi, omniúmque quibus præsunt salutem, famam, & fortunas sibi charissimas habeant. Ecclesias sedulò pascant Episcopi, ac Presbyteri nostri, Spiritus sancti gratiâ ubertim delibuti. Populus vicissim eos pro nunciis Dei suscipiat, eumq; iis honorem reddat, quo summus Magister illos dignatus est. Denique respiciat unusquisque, quatenus ex officio aliis sit obligatus, ac quod debet bonâ fide persolvat, ut fragrantissimus odor justitiæ & pietatis è nobis affletur, Tibíque gratus sit, per Jesum Christum, Dominum nostrum. *Amen.*

Pater noster qui es in Cœlis, &c.

Die Veneris, Preces Vespertinæ.

I.

GLorioſe Deus, æterne rerum opifex, in totâ naturâ Tu nihil voluiſti non comptum, nihil non elegans. Quot apparent creaturarum ſpecies, tot exhibuiſti ſpecimina bonitatis, jucunditatis, pulchritudinis. Mundum Cœlo, cœlum Stellis, ſtellas luce colluſtraſti.

ſtrasti. Terram veſtisti floribus, herbis, arboribus, frugibus, quorum omnium incredibilis multitudo, maximâ distinguitur varietate. Nec minorem ornatum præ ſe ferunt colles, prata, campi, fontes, amnes, maria, littora, totque genera beſtiarum, volucrum, piſcium. Tanta eſt in illis omnibus venuſtas, quæ ſummâ cum ſapientiâ perfeciſti. Extructo autem Theatro tam augusto, domo tam ampla, omni ſua ſupellectile repletâ, hominem tandem à Te conditum, ut operum tuorum ſpectatorem, nec ut ſpectatorem ſolùm, ſed etiam interpretem, imò & magnâ ex parte poſſeſſorem ac dominum introduxiſti. Hominem feciſti per egregium quidem & inſigne opus, admirandæ ſtructuræ, in cujus fabricâ infinitam tuam artem quàm maximè videre eſt. Hominem feciſti Mundi viſibilis ac inviſibilis vinculum, copulam Cœli & Terræ, nec ſolùm Mundi majoris vivam epitomen, ſed imaginem tui ipſius ter maximi Conditoris, divinæ tuæ cognitionis, juſtitiæ, ſanctitatis, beatitatis ac perfectionis radios quoſdam participantem.

Jam verò qui in primævo ſtatu ipſe flos naturæ, Creaturarum princeps, & Creatoris adumbrata effigies fuit, heu quantum mutatus, plorabili ſuo lapſu in calamitatum abyſſum penitus demergitur; ubi requiem quæritans,

tans, inveniens autem nullibi, sæpius in miseriam incidit fœlicitatis obtectam nomine, mortémque ipsam pro vitâ amplectitur. Tristem illam humani generis labem in me fateor nimis expertus sum. Dementiam meam probosam agnoscere cogor, qui divinæ originis ac nativæ dignitatis prorsus oblitus, ad vilissima sectanda me dejecerim.

Eheu Domine Deus, quanta fuit pravitas mea? quanta ignavia & socordia? Tradidisti in literis sacris præcepta talia, quibus perfectiora, æquiora, & sanctiora excogitari nequeunt; atque promissa tanta, quibus excellentiora, Deóque magis digna, nec humana nec angelica mens concipere potest. At voluntas mea contumax non alacriter morem gessit, etiam præceptis illis quæ mens non potuit non approbare, animúsque rerum mundanarum studiosus magna illa, quæ universam Cœli fœlicitatem continent, promissa cum neglectu præteriit. Quanquam cognosco pariter & agnosco Te unum verum Deum, quem solum coli totísque viribus amari oportet, Te finem ultimum summúmque bonum, præ quo cuncta planè sordent, videórque mihi ab idolis colendis penitùs abhorrere; tamen non sine idololatriâ quadam à Te descíscens, ad vanas creaturas inordinato affectu sum conversus, quibus tanquam Diis meis, non bovem, non

hircum, ſed meipſum meámque ſalutem turpi ſacrilegio immolavi.

Præterea cum Spiritum tuum Sanctum mihi impertire dignatus ſis, ut me peccati & miſeriæ coarguens pectus meum Pietate imbueret, ſæpenumerò gratiam tuam auſus ſum rejicere, monitiſque ad vitæ emendationem hortantibus obluctari. Tu verò Domine illam toties & tamdiu contemptam gratiam offerre pergis. O ſi jam demum incomparabilis tua benignitas me prorſus vincat, ut oblatam gratiam animitùs amplectar, méq; voluntati tuæ totum addicam, per Jeſum Chriſtum Dominum Noſtrum. *Amen.*

II.

AD conſpectum tuum, omnipotens Deus, quas fundo preces, aſcendere patiaris, inſtar grati ſuffitus & acceptiſſimi ſacrificii, tametſi id peccata mea non merentur. Scio quidem iſta toties admiſſa nullo plangore, nullis lacrymis, nullo facto meo poſſe expiari. Hoc nihil aliud quàm Chriſti ſanguis efficere poteſt. In illo igitur pretioſiſſimo ſanguine, non in operibus meis quibuſlibet, ſpes mea veniæ fundatur. Propter ſola illius merita noxæ meæ remiſſionem à Te expeto. Quum autem ſanguinis iſtius beneficia, nemo participabit

cipabit niſi pœnitentes, qui mores ſuos ſincerè corrigunt; da quæſo, ut non minori ſtudio pœnitentiæ fructus edam, quàm ſi ex his tantùm ſpes mea penderet.

Explorationi me tuæ, Deus, ſubjicio, ut mentem meam perſpicias, omnéſque meos ſenſus & omnia cogitata penitus ſcruteris. Proba me & vide an ſim in pravâ vivendi viâ, méque in viam ducito Tibi gratiſſimam, ut ego is in Te ſim quem me eſſe vis, Téque jugiter ſequens in omnibus vitæ labyrinthis tutus ſim ab erroribus. Effice famulum tuum ferventem in pietate, cæterum in omni ſtatu moderatum, in rebus proſperis mitem, ſedatum in adverſis, in gravitate facilem, in negotiis aſſiduum, in relaxatione non minùs ſobrium quàm jucundum. Ad arbitrium nutúmque tuum me totum converte, ut divinæ legis præceptis quibuſcunque morem gerens, divinæque Providentiæ quovis eventu, probè contentus, eodem vultu, manúque eadem, & bonum & malum à Te recipiam, nihílque re verâ in malis ducam quod à Te conſtitutum eſt, quò tandem aliquando vacet animus meus omni perturbatione, tum cupiditate & metu inani, tum etiam ægritudine, & iracundiâ.

Quicquid à me cogar amittere, fac obſtinatè ſervem pretioſiſſimam illam bonæ conſcientiæ

ſcientiæ gemmam; cujus damnum nihil unquam, vel reſarcire poteſt, vel reſtituere. Quocirca decretum mihi figam inviolabile, ne ullâ cauſâ vel prætextu, vel ſi Cœlum quidem & Terra ruinam minitarentur, ullum flagitium aut ſcelus admittam. Atque utinam ad extremum uſque halitum certus ſemper ſim hujus propoſiti, animóque meo characteribus nunquam delendis imprimatur tam intimus divinæ tuæ immenſitatis ſenſus, ut nihil audeam præſtare, quod tanto, támque potenti, eidémque perpetuò præſenti Deo diſpliceat; quin ſedulò dem operam, ut à ſummi Judicis miſericordi manu fidelitatis meæ lauream reportare merear. In hac verò Sanctimoniâ mentis, & corporis, atque ſtrictâ ſolicitáque conſcientiâ, declinem ſuperſtitiones, vanos ſcrupulos, Hypocriſim, proterviam, triſtitiam, & iſta ſupercilia cenſoria, quæ vel bonis operibus aliquando inſidiantur.

Odiſti Deus matutinos pietatis rores citò evaneſcentes, illáque nimis violenta devotionis initia, quæ furioſi cujuſdam zeli œſtro excitata, ſtatim poſtmodò deſinunt. Inflamma quæſo cor meum conſtanti illo ac perpetuo ſanctorum affectuum ardore, qui & Tibi acceptus & mihi poteſt eſſe ſalutaris. Utinam Spiritus tuus virtutis ſuæ afflatu divinam mihi vitam ſic inſpiret, ut non deinceps agar à me-

ipſo,

ipſo, ſed ejus actione ac motu regar; ut in fide, in timore Tui, in pietate juſtitiâque in Mundi denique contemptu quotidiè confirmer, viribuſque totis in curriculo ad æternam gloriam inſtituto perſeverem.

Sicut me famulum tuum indigniſſimum ab innumeris malis periculiſque per totam vitam meam vindicaſti; ita jam porrò vindicato, atque gratiâ tuâ cohibe ab operibus tenebrarum. Peractis diei laboribus concedas mihi alternam noctis requiem, ut manè expeditior ſim ad laudes tuas celebrandas; reliquáque omnia Vitæ meæ ſtudia ad honorem tuum prorſus conferam, per Jeſum Chriſtum Dominum noſtrum, qui tecum atque Sancto cum Spiritu vivit & regnat in æternum. *Amen.*

III.

COmmendatos Tibi cupio, benigniſſime Deus, omnes ubique Gentium homines; imprimis verò Chriſtianos, apud quos ut floreant Juſtitia, Pax, Charitas, compeſce quæſo flagrantes de Religione diſputationum æſtus. Revoca hominum animos, à controverſiis iſtis vanis, ac perniciosis ſimultatibus, ad verum practicæ pietatis ſtudium, ut in paucis illis, quæ ad ſalutem creditu neceſſaria ſunt, humiliter

liter tacitéque acquiescentes, déque reliquis haud nimis interim soliciti, quod supereſt temporis piis officiis, bonisq; operibus, sedulò impendant. Miserere verò, & succurre famulis tuis, qui usquam Gentium probris, maledictis, contumeliis, suppliciis, exiliis, veritatis Pietatísque causâ, vexantur; nec sinas ut pater mendaciorum ejúsque assecla veritatem atque innocentiam in Mundo semper opprimant, tótque modis accipiant indignis.

Ita dirigas Christianorum Principum animos, ut bellum omne, quantum licet aversentur, subveniant oppressis, oppressorum insolentiam maturè coerceant, & pacem cum omnibus cupidissimè amplectantur. Regem nostrum in fidem, & clientelam tuam recipias, ut Ecclesiæ ac Reipublicæ tutus præsit, nósq; prudentiâ suâ, fortitudine, ac magnanimitate securos jugiter, contráque omnes hostes præstet intrepidos.

Episcopi Presbyterique Christianam pietatem tueantur, religionem amplificent, Ecclesiæ partes dissipatas colligant, vulnera sanent, turbas tranquillent, contentiones & hæreses extinguant, omniáque divina atque humana rectè tractent. Æquos se, beneficos, mansuetos, comes, affabiles singulis præbeant; ac speciatim ignaris, errantibus, ac humanæ fragilitatis vitio deceptis, ut istos, quà licet, fideli

fideli consilio, blandâ admonitione, amicâ suadelâ in viam reducant.

Universa plebs sit sobria, modesta, justa, pia, iis qui vel Ecclesiæ, vel reipublicæ præsunt morem gerens. Juniores senilem ætatem, quam honorabilem esse voluisti, revereantur. Senes quoque juventutis imbecillitatem prudentiâ suâ & rerum usu moderentur. Servi se ad obsequium sedulos præstóq; Dominis præstent, neq; id ad oculum, sed ex animo, tanquam Tibi servientes. Heri quoque non morosos se ac intractabiles erga servos gerant; cæterùm potiùs agnoscant sibi fratres esse, suósque sub cœlesti Domino conservos, quos humaniter tractare & amare debent. Deniq; quod officii ratio postulat, id unusquisque fideliter efficiat.

Insuper oro Te, Pater summe misericors, ut pro infinitâ sapientiâ ac bonitate tuâ, opem feras afflictis, orphanis, viduis, pauperibus, extorribus, vinctis, infirmis, ægris, omnibúsque, quotquot gravia ulla patiuntur, aut in ullis periculis, calamitatibus, & angustiis versantur. Preces, quæso, eorum omnium propitius exaudi, propter immortale meritum Domini nostri, qui cruciatus maximos pro nobis toleravit. *Amen.*

Pater noster qui es in Cœlis, &c.

Die

Die Saturni, Preces Matutinæ.

I.

CLementiſſime Deus, omnium Pater, qui vigili Providentiâ clavum Univerſi tenes, tuo ſemper operi aſſiduus, atque intentus; quaſi tot oculis res mortales ubique ſpectares, quot Tibi collucent in cœlis ſtellæ, tot manibus regeres, quot ſunt tuæ poteſtatis vel inſignia vel indicia. Qualis & quanta eſt ſapientia, potentia, bonitáſque tua, qui admirabili ratione, tum pro tuæ voluntatis arbitrio, tum pro mortalium commodis omnia adminiſtras? Quàm diuturna, quàm præclara, quàm incredibilis eſt patientia tua, qui ſceleră hominum infinita, in divinæ Majeſtatis contumeliam flagitioſè admodum perpetrata quotidiè ſuſtines?

Solem tuum oriri facis in malos juxta ac bonos, & ſuper juſtos injuſtóſq; pluis. Communi benignitatis largitione probis & improbis, innocentibus ſontibúſque, gratias agentibus & ingratis, pro nutu tuo tempora obſequuntur, elementa famulantur, ſpirat aura, fontes

fontes fluunt, grandescunt copiæ messium. Cum autem crebris, imò continuis exacerbatus offensis, vindictam in manu, in promptu habeas; tuam temperas indignationem, mavisq; diu retinere patientiam, ut, si fieri possit, multùm protracta malitia tandem aliquando in bonam frugem mutetur, atque homo in errorum & scelerum contagione volutans, vel serò ad Te convertatur. Neque Tu, Domine, mortem aves morientis, sed potiùs ut redeat peccator à viis suis malis, & ab omnibus peccatis se revocet, ut non sit illi detrimento culpa. Ne sinas, quæso, ut divitem hanc benignitatem & facilitatem & lenitudinem tuam ego miser contemnam; sed fac ut indies me corrigam, tantâ tuâ benignitate, ad sanitatem invitatus.

Fateor equidem me naturâ esse depravatâ, insitúmque mihi vitii semen tetros peccati fructus edere, néque ad bonas cogitationes, actionésque, ineptum efficere. Hinc sæpenumerò à vero & recto quàm turpissimè aberravi, pro dulci amplectens quod est acerbissimum, pro acerbo fugiens quod est dulcissimum, pro bono ac lucro sequens quod merum est detrimentum, pro damno timens quod unicum est lucrum; id pulchrum judicans quod est fœdum, id pudendum quod solùm est gloriosum. Quâ fronte igitur audeam

deam ego comparere, coram infinitâ tuâ Majestate, capitali omnium sordium hoste, & ipsorum etiam animi penetralium scrutatore? Cæterùm esto precor pœnitenti mihi propitius. Peccata mea omnia, pro summâ tuâ misericordiâ, mihi quæso remitte, propter magnum illum divini furoris averruncum Jesum Christum, Dominum nostrum. *Amen.*

II.

NOli finere, benignissime Deus, ut, quam in prioribus peccatis condonandis expertus sum, misericordia Tua, me ad tuam Majestatem novis injuriis lacessendam impellat; nec sim usque adeo scelestus ac ingratus, ut bonitatem tuam, quæ esse debet pœnitentiæ argumentum, in peccati occasionem ac incitamentum convertam; sed posito semper ob oculos divinæ tuæ Majestatis timore, ab omni specie mali me abstineam, in bono perstem & proficiam, sobrietati ac divinis quibusque officiis invigilem, animam meam possideam in patientiâ, impiorum caducæ prosperitati non invideam, nec sorti meæ quantumvis afflictissimæ irascar.

Equidem cupio, Domine, in rebus omnibus, quæ via sit tuis mandatis maximè consentanea, eam & scire & insistere, apud animum statuens

tuens in admirabili legis tuæ ſapientiâ conquieſcere, eíque jugiter morem gerere. O utinam non ſint levia & perfunctoria quæ de novâ obedientiâ propoſita ineam, ſed vera, & firma, quæque Tu cordium Scrutator tanquam ſincera probes. Nec ſufficiat mihi bona propoſita de futuro formare, quem oportet inſtanter ad bona opera memet accingere, ea quæ tempus patitur agendo.

Excites igitur me, Pater miſericors, divinâ tuâ gratiâ, ut quæ poſſum & debeo, ea in præſenti agam; in primis verò ut cuncta peccata, etiam iſta quæ aſſueta diu, & chariſſima fuere prorſus exuam, & repudiem, extincto omni amore & ſtudio, quo in ea ferri ſolitus ſum. Cum autem Satanam dirúmque ejus ſatellitium expuliſti, vacuam & deſolatam, ne relinquas animam meam, ſed virtutibus iſtis omnibus, quibus Tibi accepta ſit, eam ornato, ut ad Chriſtianum & Cœleſtem ſtatum conformetur.

Liceat mihi, clementiſſime Deus, ardenti prece, Divinum Spiritum, cum gratiis ejus à Te poſcere; aut ſi jam animum ex parte occupavit, obnixè peto, ut uberiori gratiarum effuſione me inhabitare dignetur, omníque virtute proficientem adaugeat. Id unum, mi Deus, iterum iterúmque rogo, ut Spiritu tuo perfundar, qui me doceat, inſtituat, ad omne

officii munus inſtruat, ut velim & coner quæ ſunt optima, conatibuſque meis bene fortunatis, optima illa, illa caſta & honeſta, voluntatique tuæ conſentanea emolumentis omnibus & commodis anteponam; nec ullis unquam vel ſuppliciis vel præmiis dimovear ab eo quod rectum eſt.

Utinam firmo animi robore, ſeverâque continentiâ reſpuam omnes voluptates hominis præſtantiâ indignas, nec magni æſtimem iſta bona, quibus abundanti, licet eſſe miſerrimum. Ne ſim lætis ſucceſſibus effrænatus, mihique præſidens, ſed fac ut in omni vitâ ſemper perſpiciam rerum humanarum imbecillitatem, varietatémque fortunæ. Cúmque ſecundæ res ſint maximè, tam maximè mecum mediter, quo pacto adverſa ferenda ſit ærumna. Ita ſemper excubem, ut mihi nihil improviſum accidere poſſit, nihil inopinatum atque ſic in omnes partes aciem intendam, ut ſemper videam ſedem mihi & locum, ſine moleſtiâ atque angore vivendi; quò quemcunque caſum providentia tua invexerit, huic me aptum, promptum, facilem, alacrémque habeam.

Horæ meæ cedunt, & dies, menſes & anni, nec præteritum tempus unquam revertitur, nec quid ſequatur ante mortem ſciri poteſt: moriturum verò me certè ſcio, & id incertum,

tum, an hoc ipſo die. Utinam igitur aſſidua mortis memoria me, ut melior ſim, admoneat, nec patiatur ad ea me animum adjungere, quæ aliquam nomini meo, vel intemperantiæ vel injuſtitiæ notam poſſint inurere: ſed vitæ meæ ſocia virtus ſit, & mortis comes gloria, per Jeſum Chriſtum Dominum noſtrum. *Amen.*

III.

CLarè perſpicis, Deus optime maxime, quid famulo tuo expediat; Ne mihi dona iſta largiaris, quæ me in faſtum aut ſuperbiam, evehant, aut in ullum vitium illiciant; at ea potiùs impertire velis, quibus modeſtior cautiórque fiam, & ad meipſum relinquendum paratior: ut tam acceptis à Te beneficiis, quàm iiſdem aliquando ſubtractis, doctus atq; caſtigatus, mihimet nihil audeam boni arrogare, ſed inopem me nudúmque confitear; Te verò rerum laudabilium omnium ac optabilium authorem agnoſcam, Tibi omnia cum gratiarum actione accepta feram, omniáque refundam in ipſam inexhauſti fontis Scaturiginem.

Mihi quidem, ut decet, in infimo loco, & pro minimo me habenti, vel minima quæ à Te, ſumme Deus, accipiam dona, pro magnis

& eximiis meritò habenda ſunt. Nam ſive largitoris dignitas, ſive receptoris indignitas ſpectatur, nihil quod in me contuleris parvum aut vile videri poteſt. Quantas igitur & quàm immortales Tibi gratias debeo pro ingentibus illis ac innumeris, quibus me tuum affeciſti beneficiis? Magnus es, Domine, & omni laude major; glorioſæ tuæ Majeſtatis decor eſt inexplicabilis; nec ad tuam magnitudinem quiſquam poteſt pertingere. Te verò laudibus ac benedictionibus quantis poſſum maximis efferre cupio, nomenque tuum in perpetua celebrare ſæcula, ob omnes tuas miſericordias, ſive in meipſum, & meos, ſive in Eccleſiam & Gentem noſtram, ſive in totum genus humanum collatas.

In primis, benigniſſime Pater, ex intimis cordis penetralibus Tibi gratias ago, pro ineffabili Filii tui Incarnatione, qui cum veniſſet plenitudo temporis naturam humanam ſuſcepit, ex beatâ illâ & purâ virgine, ut indicaret nobis arcanam & reconditam voluntatem tuam, ínque humano corpore perageret myſterium Redemptionis noſtræ. O quantum debeatur æterno illi Sacerdoti, qui poſt execrandæ mortis ſupplicium in cœlum ingreſſus, ſeipſum, victimam pro ſontibus nobis cæſam, coram in præſentiâ tuâ ſiſtit, & Sacrificii ſui vi, ut Pontifex noſter, nos Tibi perpetuò commendat!

Cum

Cum autem pro immensâ tuâ benignitate me fide donaveris, quâ magnis illis rebus intellectus mei captum usque adeò superantibus assentiri possim; impartito mihi porrò illum zelum, eámque fortitudinem, ut in signum grati animi nunquam non paratus sim ipsam vitam libenter impendere, ultimámque sanguinis mei guttam effundendo singulos testari articulos Fidei.

Utinam mens mea à carne, quam incolit, sese vindicet & abstrahat, puriórque continuò ac divinior evadat, nihil adversum ducens, nisi quod mihi obstet ad æternam fœlicitatem properanti, nihil prosperum, nisi quod eò conferat.

Me, quæso, ad omne officii munus, tum erga Numen tuum, tum erga homines, accinctum, expeditum, paratúmque efficias. Jam verò per totum Diem hodiernum, pro consuetâ tuâ benignitate, ab omni malo & infortunio me conserves, ut tutelâ tuâ incolumis vespere nova laudis cantica offeram, quódque reliquum est ætatis brevis, consecrem in solidum tui nominis honori, Tibíque semper acceptus sim, propter efficacem commendationem magni illius Pontificis Jesu Christi. *Amen.*

IV.

FAcilem ac propitium præbeto Te, benigne Deus, ſupplicibus omnibus, & quàm maximè Chriſtianis. Mentes quæſo eorum Spiritu gratiæ tuæ indies fœcunda, præſentiâ foveto, poteſtate confirma. Laborantem Evangelii cauſam adverſus errorum peſtes tuere; inconditos in Eccleſiâ tumultus ac inutiles rixas compone. Temporibus noſtris pacem, Orbi Chriſtiano bonos Principes & Magiſtratus, Principibus populum fidelem ac morigerum, utriſque pium, probum, doctúmque Clerum largire. Regi noſtro vel coronâ ſuâ pretioſior ſit tuus honor, totâque mente in hanc curam incumbat, ut vis veræ Religionis & puritas ſimul promoveatur. Conſilia conatúſque ejus, bonis auſpiciis, divinâque ope ſic adjuva, ut prudentiſſimâ æquiſſimâque rerum adminiſtratione, ſummam pacem domi foríſque colat, & aliis omnibus pacis colendæ ſimul hortator & exemplum optimum extet. Fac etiam ut vigeant apud omnes ejus ſubditos, tam Eccleſiaſticos quàm Laicos, ſincera ſanctitas, juſtitia, fides, charitas. Effloreſcat indies ſtudioſa Juventus, ſeminarium Reipublicæ & Eccleſiæ. Meminerint omnes ſe non ſibi ſolùm natos eſſe, ortum verò ipſorum partim

partim patriam vendicare, partim parentes, partim amicos, quibus omnibus, quantum in ſe eſt, ſtudere debent. Denique oro Te, Pater clementiſſime, ut benignè reſpicias afflictos tuos & calamitoſos famulos, quos ad Te, tanquam ad unicum propugnaculum, ærumnæ ſuæ undique impellunt. Illis quidem nec capillus defluit abſque voluntate tuâ; ac quicquid facis, quicquid permittis, æquis ſemper cauſis ſubnititur. Fac precor, ut quæ patiuntur ne tam dura ſint carni infirmæ quàm utilia animæ; & licet eos pro paternâ tuâ diſciplinâ, flagellis caſtigationis coerceas; tamen miſericordiam, pietatem, & veritatem tuam ne auferas ab illis, ſed tandem eorum neceſſitatibus, ut ſolitus es, conſule, eorúmq; lacrymas in gaudium converte, per Jeſum Chriſtum Dominum noſtrum. *Amen.*

Pater noſter qui es in Cœlis, &c.

Die Saturni, Preces Veſpertinæ.

I.

GLorioſe Deus, qui omnia reples, continēs, penetras, gubernas; præſentem Te mihi ſemper adeſſe dubitare non poſſum, quippe qui ubique es, nec ullo loco excluſus nec incluſus. Ego verò Tibi non ſemper adfui, ſed nimis & mente & affectibus à Te diſſitus, quas odiſti vias ſæpius inſtiti, Numénque tuum fugi, ipſum vitæ ac fœlicitatis meæ fontem, cui intimâ unione, conjunctionéque nunquam non debueram adhæſiſſe. Ecce autem jam ad pedes tuos ſummâ cum demiſſione provolutus tam animam, quàm corpus coram divinâ tuâ præſentiâ ſiſto.

Cum per orbem hunc, Pater optime maxime, circumferens oculos, ſtatas viderim anni tempeſtates, noctis dieíque viciſſitudinem, ſolis pulchritudinem atque potentiam, micantem Cœli ornatum, Terræ molem aere ſuſpenſam, æſtus maris reciprocos, amœnitates orarum ac littorum, camporum viriditates, liquores pellucidos amnium, plantarum incrementa, atque virtutes, animalium diverſas formas,

formas, ac inſtinctus ſpontaneos, hominémq; ipſum cui inſerviunt, denique totam univerſi ſpeciem, tantámque hujus Machinæ perfectionem, ut ſingulæ partes in rem cedant totius; his aſpectis non potui non agnoſcere Te Authorem, non potui non æſtimare apud me, quantus ſit opifex, ex opificii præſtantiâ. O quàm ſancta oblectatio capiatur in Theatro hoc pulcherrimo, quod abſolutiſſimâ rerum omnium copiâ, varietatéque amœniſſimâ mirabiliter exornaſti! Cum autem animadverto Te omnia illa in bonum & ſalutem hominis deſtinâſſe, quantùm inde me ad Tui fiduciam, invocationem, laudem, amorem, obſequiúmque excitari oportet?

Ad imaginem tuam, ſancte Deus, initio nos finxiſti, ſcientiâ, juſtitiâq; prædítos, ut mentes noſtras tùm ad virtutis ſtudium, tùm ad æternæ vitæ meditationem erigeres. Tantâ nobilitate generis nos longè ſupra bruta animalia evexiſti, ne vilia ſimus voluptatis mancipia; ideóque nos ratione ac intelligentiâ locupletâſti, ut ſanctam & honeſtam vitam colendo, ad propoſitum beatæ immortalitatis ſcopum tendamus. Cæterùm in mentem meam venire nequit prima illa dignitas, quin mox ex alterâ parte ſe offerat triſte labis & ignominiæ noſtræ ſpectaculum, ex quo in primi hominis perſonâ ab origine noſtrâ excidimus.

Hinc,

Hinc, fateor, naturam depravatam, atque ingenitam vitiositatem ab utero matris miser attuli; animúsque meus ad infima depressus nimium inclinatur ad carnis voluptates, ad effrænam sensuum licentiam, ad otium & fugam laboris. Hinc in Intellectu obscuritas, ignorantia, incerta judicia, nec non à seriis cogitationibus aversio: in voluntate infirmitas, veri boni neglectus, languor, atq; inertia resistendi pravis motibus: in appetitu rerum inanium impotens desiderium. Hinc ut plurimum nugatorio circulo, atque irrequietâ vertigine cursus vitæ meæ circumvolvitur. Edo, bibo, ludo, dormio, rursumque surgo, ut iisdem corporis refectionibus indulgeam. Magna pars ætatis meæ congeries quædam & confusio fuit sacrarum & profanarum actionum, precum & peccatorum, confessionis & relapsus. Nulla dies sine erroribus transigitur, complures in incertum currunt absque ullâ finis consideratione.

At propter meritum sanctissimi Jesu delinquenti mihi ignoscas, quæso, benigne Deus, & per gratiam divini Spiritus à miserrimâ hac peccati servitute me vindices, ut Tibi in quo omnia reperiuntur, quæ ad hominum fœlicitatem necessaria sint, firmiter adhæream, summâque pace ac tranquillitate in Te quiescam, nihil quærens, nihil optans extra Te,

nec

nec uſq; adeò avarus, ut ipſe Tu Deus optime maxime non ſufficias mihi.

O ſi dum hic in terris abs Te peregrinor, lucem aliquam cœleſtem in me oriri facias, & ſpiritualem lætitiam cum ſummâ cordis integritate, quò creaturis tuis ut opus eſt utens, in Te uno lætor, ac memoriam tuæ Sanctitatis in animo meo perpetuò celebrem per Jeſum Chriſtum Dominum noſtrum. *Amen.*

II.

LIceat mihi, cœleſtis Pater, votis precibúſque flagrantiſſimis die noctéque abs Te rogare, quæ cùm ad gloriam tuam, tùm ad ſalutem meam conducant. In quas vel infirmitas vel ignoratio me impulit, culpas, quæſo, pro tuâ miſericordiâ deleas, Tibíque meum animum protinus agglutines. Indies extingue in me iſtum mali fomitem unde ſcateant cupiditates, quæ ad peccandum alliciant & extimulent. Illumina mentem meam, eámque à ſomnolentiâ & torpore excita, ne malæ rei ſibi à ſenſibus objectæ aditum patefaciat. Oculorum meorum licentiam caſtiga, ne turpium voluptatum imagines ad Phantaſiam tranſmittant, graviumque peccatorum ſemina in appetitu ſuſcitent. Providâ curâ ſepiantur aures, ne pro veritate mendacium,

pro

pro ſapientiâ ſtultitia in animi penetralia per illas portas irrumpant: Claudantur nugis, obtrectationibus, ſuſurris invidis, blanditiis vanis, obſcœnis ſermonibus, omníque rei quæ aut animæ perniciosa ſit, aut ad ejus profectum nihil conferat.

Me, quæſo, impartias non eâ mundanâ, temporali, & caducâ fœlicitate quæ ſubſiſtit in externis commodis, ut lætam aliquantiſper vitam agam, floream opibus, quaſque ſolet expetere caro deliciis affluam; quin ea potius dona mihi largire, quibus anima immortalis in æternum locupletetur.

Dum vivo & licet, utinam bonus ut ſim ſedulò curem, aliáſque omnes occupationes, omnia ſtudia miſſa faciens, huic intentus ſim, ut juſtè agam in præſentiâ, & quod nunc mihi obtigit, id boni conſulam. Meminerim me majorem eſſe, ac ad majora genitum, quàm ut ſim mancipium mei corpuſculi: abſit ut putem me natum eſſe ad cibos tantum & potus percolendos, reliquoſque ſatiandos bruti corporis appetitus, aut ad aucupandos ventos, & ſpes fallaces per totam vitam venandas, donec iſtâ brevi inſaniâ tranſactâ in terram recondar & in pulverem reſolvar. Ne patiaris animam meam origine cœleſtem, uſque adeò patriæ ſuæ oblitam carnique & luto immerſam eſſe, ſed expergefacias

facias illam quæſo, ut calcatis terrenis ad divina & æterna aſpiret, per Jeſum Chriſtum Dominum noſtrum. *Amen.*

III.

IMmenſæ debentur laudes, omnipotens Deus, magnificæ tuæ gloriæ, bonitatíque ampliſſimæ, cujus in me experior ſingulis diebus immenſa beneficia. Quocirca hoc mihi conſtitutum eſt, totum reliquæ vitæ tempus, totum animum, omneſq; vires, collaudando Tibi, Tibi, mi Deus, celebrando impendere. Imprimis autem gratiſſimo quantum poſſum animo, ſingularem illam agnoſco tuam in nos benignitatem, quòd nobis tandem in hiſce ultimis ſæculis revelaveris Evangelii lucem, divinamq; tuam voluntatem, de ſalutis noſtræ methodo clariſſimè patefeceris.

Pro tuis etiam omnibus erga nos meritis immortales tibi gratias ago; & ſpeciatim quòd me hodie à multis peccatis ac periculis, in quæ fragilis mea natura tam proclivis & prona eſt, benignè conſervaveris. Perge, quæſo, hac nocte me tueri incolumem, & conſuetâ tuâ adverſum me lenitate utere, ut ſancto tuo die nunc inſtante ad cultum tuum ſolenniorem memet accingam. Inflammetur animus meus pio Davidis zelo, nihilque

que majus, jucundius, antiquiúsque habeam libertate ac facultate templi tui unà cum cæteris fidelibus adeundi. O utinam in pectus hoc altissimè descendat, quòd è sacrosancto Evangelio cras auditurus sum, & magnoperè mihi stimulos subdet ad porrò calcandum pietatis ac virtutis callem; ut post paucos dies, aut septimanas, aut menses in Te colendo insumptos, æternum demum in Te fruendo Sabbatum, quàm beatissimè celebrem, per Jesum Christum Dominum nostrum, qui ad dextram tuam sedens honore, potestate, beatitudine supereminentissimâ, & tuæ proximâ cumulatur. *Amen.*

IV.

ADsis, alme Deus, omnibus ubique Gentium qui Christianum nomen profitentur. Eum illis puræ Religionis amorem inspira, ut invitis inferorum portis simplex triumphet veritas; pulsis fugatisque Odiis fraterna redeat charitas, regnumque filii tui sartum tectum inter nos maneat. Da Christianis Principibus eam domi pacem, eam foris contra hostes victoriam, eum rerum ac temporum statum, ut omnes opes atque vires ad defendendam Ecclesiam tuam convertere

vertere poſſint. Per Te fortia patret Rex noſter; maximè æſtimet conſcientiam mentis ſuæ, habeátque in conſilio legem, fidem, religionem, æquitatem, ut in rebus omnibus quas ſtatuet, quas decernet, quas aget gloriam tuam, tuique populi ſalutem ſibi proponat. Judices ac Magiſtratus dent operam, ut juris & judiciorum æquitate ſuum quiſque teneat: ut neque tenuiores propter humilitatem circumveniantur, neque locupletibus ad ſua vel tenenda vel recuperanda obſit invidia. Sint Epiſcopi, Presbyterique fideles ſacrarum literarum interpretes, veritatis aſſertores peritiſſimi, cultores pacis devotiſſimi, pietatis eruditæ conſpicua exemplaria, Chriſtiani Gregis Paſtores vigilantiſſimi. Conſervato ac gubernato Academias ac Scholas pias, ſtudiiſque gloriam tuam ornantibus placidam quietem, fœlicémque profectum concede; nec ſinas docentium & diſcentium cœtum bello, peſte, aut aliâ calamitate diſſipari. Amicis & Benefactoribus meis beneficia omnia atque officia rependas, animúmque meum eâ imbuas gratitudine, ut me talem erga illos præſtem, qualem ipſorum erga me amor promeruit. Oppreſſorum controverſias & cauſas tuere, errantes in viam reducas, laborantibus ſuccurre, medere ægris, afflictos excita,

excita, ſupplicibúſque omnibus, à Te auxilium petentibus aurem præbeto, propter filium tuum chariſſimum, Jeſum Chriſtum, cui tecum & Spiritu ſancto ſit omnis, honor, laus, & gloria in æternum. *Amen.*

Pater noſter qui es in Cœlis, &c.

PRECES

PRECES VARIÆ:

Officium Matutinum Oratione unâ comprehenſum.

TUum eſt, æterne Deus, à quo omnia condita ſunt, omnia quoque ſuſtentare ac gubernare. Rerum naturas, proprietates, ac vires non conſervas ſolùm, ſed iis etiam uteris pro arbitrio tuo, ſive in bonum, ſive in pœnam hominis; communicando ſcilicet eas, aut negando, concitando, ſiſtendo, transferendo, dirigendo, multiplicando, imminuendo, intendendo, remittendo; prout vel gratia & lenitudo, vel juſtitia ſeu vindicta, ac ſeveritas tua poſtulare videntur. Factis, dictis, cogitatis, conſiliiſque humanis Providentia tua ſemper intervenit; adeò ut nihil uſpiam temerè aut fortuitò fiat, Te vel ignorante, vel non curante. Agnoſco ex operibus tuis, tuam omnipotentiam, ex horum ordine ſapientiam, ex uſu eorundem bonitatem ac miſericordiam.

De me verò, quàm pauperculus ſim & abjectus humuncio, quàm tenuis & infirmus, quàm ignarus & imperfectus, quàm miſer peccator, probè mihi ſum conſcius: tamen nihilominus, humili cum fiduciâ ad Te accedo, qui omni virtute nudos veſtire, omni bono vacuos implere, peccati ſervos liberare, illuminare cæcos, claudos ducere, debiles ac imbecillos ſuſtentare digneris.

Fateor quidem, Domine, ſtultus ego & incautus, vel effrænatis iræ æſtibus, vel falsâ voluptatis ſpecie, vel periculi metu, uno nonnunquam momento, ſæpiuſculè ſenſim ac pedetentim, victus fui ac ſuperatus. Hinc varia crimina delictáque admiſi, tum iſtarum paſſionum vi, tum negligentiâ. Te ſolicitandi precibus, ne in tentationem inducar. Etenim inter omnia negotia mea, licet vacaverim oblectamentis, licet ſomno & cibo vacaverim; (utinam & peccatis etiam non vacaſſem) tamen precibus, ſine quibus nemo unquam ulla negotia, ulla opera, tutò fœlicitérque vel auſpicetur, vel claudat, ſæpe nimis vacare nolui.

Notum eſt Tibi, Domine, etiam ſine monitore, tum quâ parte urgear, tum quid mihi expediat. Veruntamen haud ſupervacuum eſt, Te precibus meis ſolicitari: neque id tam tuâ ipſius, quàm noſtrâ potius causâ inſtituiſti;

ſiquidem

ſiquidem quotidiani hujus ſacrificii, quo ipſe coleris, utilitas ad nos redeat. Unica mihi profectò eſt in tui Nominis invocatione ſalus, quâ optabilem præſentiam, & Providentiæ tuæ, per quam rebus meis curandis advigiles, & virtutis per quam me ſuſtineas propè deficientem & bonitatis, per quam miſerè peccatis oneratum in gratiam recipias, accerſere & impetrare poſſim. Cum autem adeò liberaliter mecum agis, Pater cœleſtis, comiter me invitans, ut in ſinum tuum curas meas exonerem, utinam hoc tam præclarum beneficium rebus aliis, omnibus apud me præponderet, méque indies ad Te trahat, ut ſtudia ſenſúſque meos ſeriò ad orandum applicem, in meiſq; precibus, non aliter quàm eum decet, qui ad Dei optimi maximi colloquium ingreditur, mente animóque ſim compoſitus.

Hæc ſit, Domine, fiducia mea, quòd ſi quid petiero ſecundum voluntatem tuam, me auditurus es. Nolo petere niſi quantum Tu mihi permittis, & quo præſcribis modo. At ſic petenti dabis certè quod peto. Id unum liceat mihi ante omnia petere, rogare, poſtulare, ut peccatis meis ſuperioribus propter Jeſum Chriſtum intercedentem remiſſis, eam mihi largiaris gratiam, quâ me totum cultui tuo deinceps impendam, ſempérque Tibi ſerviam & placeam, in ſobrietate, juſtitiâ, & pietate;

ut rectum vitæ curſum tenens, neque ad dexteram declinem, neque ad ſiniſtram; nec ſecundis efferar, nec frangar adverſis; nec deliciis langueſcam, nec ægritudine crucier; nec ducar honoribus, nec divitiis flectar; nec fraude aut ſimulatione res meas geram, nec virtutem ullam externo cultu mentiar, quam reipſâ intus non habeam. Sim autem jugiter verax, apertus, ſimplex, integer, continens, abſtinens, nihil pro affectibus, cuncta pro rationis judicio agens, & ad omnium potiùs peccata, quàm ad mea ipſius connivens.

Cum autem univerſæ creaturæ ſcalæ quædam ſint, quibus ad Te omnipotentem Creatorem aſcendam, ne ſinas ut malitiâ meâ impedimenta fiant, quibus à Te avertar, & à ſcopo abducar. Verùm quicquid oculis video, quicquid mente cogito, quicquid loquor, quicquid ago, ad Te, mi Deus, referam; idque non ore duntaxat, ſed toto animi conatu, & affectu à rebus terrenis prorſus avulſo.

Jámque, benigne Pater, qui nocte elapſâ pro conſueto tuo favore me incolumem ſervaſti, perge quæſo cum ab omni periculo, tum imprimis à peccato me hodiè conſervare; ſempérque in dies ſingulos mihi propitius adeſto, ut nomen tuum efferam ſanctiſſimum, tuámque benignitatem indeſinenter celebrem. Benedicas

Benedicas Eccleſiæ tuæ, Genti noſtræ, Regi ſereniſſimo, univerſo clero, toti Magiſtratui, omnique populo, ut tam qui præſunt, quàm qui ſubſunt officia ſua ſinguli in ſingulos fideliter præſtent, ad publicæ pacis ſtabilimentum, tuæque gloriæ pateſactionem per Jeſum Chriſtum Dominum noſtrum. *Amen.*

Pater noſter qui es in Cœlis, &c.

Officium Veſpertinum Oratione unâ comprehenſum.

IMmenſe Deus, omnis virtutis, ſapientiæ, bonitatis, clementiæ, vitæ, & ſalutis fons unice; cujus Providentiam nihil latet, potentiæ nihil reſiſtit; Liceat mihi cum piâ reverentiâ, & fiduciâ ad Te accedere, Te humiliter invocare, laudibus & gratiarum actionibus Te proſequi; cui bonorum omnium gloriam in ſolidum tribuere, & in quem ſolum, ſi quid mihi opus eſt, reſpicere debeo.

Neminem habeo neque in Cœlis neque in Terris, cui innitatur ac incumbat anima mea, vel ad vitam hanc mortalem, & ærumnoſam, vel ad futuram beatificam, præter Te ſolum. Quicquid volucrum æther continet, quicquid piſcium mare complectitur, quicquid frugum

terra parit, hoc omne nobis benignâ manu largitus es. Quòd vivam, quòd Spiritum ducam, quòd libero Cœlo & Aere fruar, Tibi penitùs debetur. Equidem dum cogito mecum, quanta ſint beneficia tua, omne meritum noſtrum prævenientia, quàm grandia, quàm ſingularia, quàm utilia; ut Creatio, Conſervatio, Redemptio, & multa alia quæ unuſquiſque expertus eſt & quotidiè experitur; quantâ etiam cum liberalitate, quo affectu, quâ facilitate, quanto denique erga indignos, imò & interdum inimicos amore & charitate conferantur; non poſſum non agnoſcere Te omni laude gratiiſque immortalibus dignum, cujus infinita benignitas in locis ac rebus omnibus, mirum in modum, ad ſtuporem uſque relucet.

Minimè quidem Tibi, fateor, pro eo quod à Te habui, reddidi: tanta fuit ingratitudo mea, qui non meliùs coluerim Te, cujus egregiæ in me voluntatis, ac benevolentiæ, tot tamque illuſtria ſunt teſtimonia. Quòd ſi mea ipſius conſcientia me condemnet, quale futurum putem, O ſancte Deus, Judicium tuum, qui ſolio alto inſidens corde noſtro longè major es? Poteſt autem admiranda tua miſericordia vel mihi tam ſonti ignoſcere, qui nimium diu plus quàm patientiſſimâ tuâ fuerim abuſus indulgentiâ, quâ me per tot annos

omni

omni beneficiorum genere cumulatum clementiſſimè toleraſti. Oro Te igitur, propter Jeſum Chriſtum mihi ſis propitius, qui peccata admiſſa lugens agnoſco; debita illis ſupplicia deprecor, atque magnam illam tuam imploro miſericordiam. Si mihi fructum quem merui retribueres, nihil prorſus expectarem, præter æternas inferorum pænas. Atqui ſiquidem Filius tuus chariſſimus pro me intercedat; quid mihi indigniſſimo licet denegabis, cui talem Interceſſorem conſtituere dignatus es?

Effice me, quæſo, verè pœnitentem, humilem ac modeſtum, miſericordiæ tuæ capacem, mearúmque paſſionum dominum, purificationis animæ juxta atq; corporis ſtudioſiſſimum. Diligentiam porrò meam excita, quâ cupiditatis ferocitatem ſubdomem, totúmq; me divinæ tuæ voluntati dedam in rebus omnibus; nec meipſum magis quæram, quàm ſi omnino non eſſem in rerum univerſitate; nec hominum encomia affectem, nec faſtum mundanum, nec vitæ voluptates; ſed unicam hanc integrámque mihi voluptatem ſtatuam, ad arbitrium nutúmque tuum me jugiter accommodare, nec quicquam aliud velle, quàm quod Tu velis.

O utinam tandem ipſe me à me, meiſque affectibus corporeis eò uſque expediam, ut à meipſo ſolutus à divino tuo Spiritu arctè prehendar,

hendar, qui me tum demum fideli, & ritè adaptato inſtrumento uti dignetur, ad Nominis tui gloriam in totâ vitâ promovendam. Ita confirmatus à Spiritu illo ſancto, per omnia Tempora, periculáque, Tibi adhæream, ſtabilíque ſemper, & immoto animo, veram illam quam amplexus ſum Religionem tuear, ejuſque cauſâ, ſi Tibi viſum fuerit, non recuſem, quò minùs omni genere tormentorum excarnificatus, ignominioſiſſimâ morte è medio tollar, & tanquam horrendum monſtrum funditùs abolear.

Eccleſiam tuam vindices, quæſo, Domine, ab hoſtibus univerſis. Æſtuanti in Orbe Chriſtiano Tyrannidi obicem ponas; graſſantibus in populum innocentem Oppreſſoribus nervos intercidas. Quas Chriſtus adeò laudavit virtutes, manſuetudo, humilitas, juſtitia, mentis puritas, & quæ vel inimicos amplexibus ſuis comprehendat, Charitas, vigeant, creſcant, floreant apud Chriſtianos. In hac præſertim Gente latè ſe diffundant, pax, veritas, pietáſque, Regnúmque Filii tui ſartum tectum apud nos maneat. Ita ſubditos ſuos gubernet Rex noſter ut Tibi primus omnium ſubeſſe geſtiat, tuóque præſidio communitus det operam, ut tua unius auctoritas ſupra omnes & ſummos & infimos emineat; ut Clerus noſter ſanctus ſit, Magiſtratus

giſtratus juſtus, populus probus, Gens quieta.

Jam me beare cœlitùs favore tuo digneris, peractíſque diei laboribus, concedas mihi alternam noctis requiem, ut ſub tutelâ tuâ incolumis omnes noctes diéſque vitæ vivam Tibi, & in ipſo tandem æternitatis ſinu conquieſcam per Jeſum Chriſtum; cui Liberatori præſtantiſſimo, ſanctóque Spiritui Conſolatori ſummo, juxta atque Tibi, Pater optime, maxime, ſit omnis honor, laus, & gloria, in ſempiterna ſæcula. *Amen.*

Pater noſter qui es in Cœlis, &c.

Oratio matutina ex Literis ſacris penè ad verbum excerpta.

ÆTerne Deus, qui omnia condidiſti, tum quæ in cœlo, tum
Col. 1. 16. quæ in terrâ ſunt: tum aſpectabilia, tum inaſpectabilia, & ſolia, & dominatus, & principatus, & poteſtates. Tu de cœlis deſpectans cernis omne
Pſal. 33. genus hominum, ex habitationis tuæ
13, 14. domicilio contemplatus omnes Orbis terrarum incolas, quorum & corda finxiſti, & facta perſpicis. Oculum
v. 18. verò intenſiſſimum habes in Tui metuentes, in eos qui ſuſpiciunt tuam clementiam, ut iis ſis adjutor, & pro-
Iſai. 63. 15. pugnator. Aſpice jam, quæſo, ex tuâ ſacrâ decorâque ſede famulum tuum indigniſſimum, qui mane Te oro, qui
Pſal. 5. 1, 2. manè Tibi præſtò ſum intentus. Verbis meis auſculta; perpende cogitationem meam, mi Rex atque Deus.
Gen. 18. Equidem audacter facio, qui Domi-
27. num meum alloquar, cum ſim ipſe pul-
Pſa. 91. 15. vis & cinis. Veruntamen Tu à me invocatus, id quod benignè promiſiſti,
Mat. 7. 7. exoraberis. Petite, inquis, & dabitur vobis;

vobis; quærite, & invenietis: pulsate, & vobis aperietur. Nos etiam qui mali sumus, bona scimus dona dare nostris liberis: quanto igitur magis Tu Pater qui in cœlis es, dabis bona poscentibus Te? *v.* 11.

Fateor quidem non solùm imparem esse me beneficiis omnibus, quibus me tuum affecisti, sed & in cœlum, & adversum Te peccâsse, ita ut jam non sim dignus qui dicar tuus filius. Vix audeo præ pudore, meum ad Te, mi Deus, vultum attollere: nam culparum mearum multitudo caput exuperat, criminis mei magnitudo cœlum pertingit. At ne mihi culpam imputa; neve mecum qui tuus sum jure agito: nam coram Te, si opera in judicium vocentur, nemo mortalium absolvetur. Parce, quæso, mihi meam noxam agnoscenti, siquidem mea peccata mihi semper obversantur. Pœnitenti mihi ignoscas propter novi fœderis sequestrum Jesum, cujus lustralis sanguis meliora loquitur quàm sanguis Abelis. Gen. 32. 10. Luc. 15. 18, 21. Esdr. 9. 6, 7. Pſ. 32. 2. Rom. 4. 8. Pſal. 143. 2, 3. Pſal. 51. 3. Heb. 12. 24.

Tu bonus es & beneficus, doce me tua decreta. Colluſtra me luce tui vultus: & pronuncia mihi, Te esse meam Pſal. 119. 68. Pſal. 4. 6. Pſal. 35. 3.

meam ſalutem. In tuorum mandato-
Pſal. 119. 33. rum ratione inſtrue me; & ea pror-
Pſal. 119. ſus exequar. Averte meos oculos ab
37. intuendâ nequitiâ, vitam mihi in tuo
Pſal. 121. conſervans inſtituto. Auxilium meum
2, 3. à Te eſt cœli terræque Creatore. Ne
Pſal. 119. ſinas meos labefieri pedes: ſed veſti-
133. gia mea in tuis dictis conſtabili, ne
ullum dominetur in me maleficium.
Eph. 5. 11. Utinam tantùm abſit ut infructuoſa tenebrarum opera participem, ut
Gal. 5. 16, ea potiùs arguam. Cum autem caro
17. contra quàm ſpiritus, & ſpiritus con-
23. tra quàm caro concupiſcat, da ut obtemperem ſpiritui, nec carnis, quæ crucifigenda eſt cupiditatem exequar.
Eph. 6. 11, Cúmque mihi lucta ſit non ſolùm ad-
12, 13, verſus ſanguinem & carnem, ſed ad-
14, &c. verſus principatus, adverſus poteſtates, adverſus Spiritus malitiæ, indue me quæſo, divinâ armaturâ, ut poſſim ſuſtinere aggreſſiones Diaboli; communito me gladio Spiritus, cingulo veritatis, ſalutis galeâ, juſtitiæ loricâ, & in primis, clypeo fiduciæ quo omnia mali ignea tela extinguere poſſim.
Col. 3. 12, Ingenera mihi affectum miſericordiæ
13. benignitatem, modeſtiam, manſuetudinem, patientiam, & ſuper hæc omnia

nia charitatem, quæ perfectionis vinculum eſt. Denique, ſancte Pater, quæ vera ſint, quæ juſta, quæ gravia, quæ caſta, quæ amabilia, quæ fauſta, ſiqua virtus, & ſi qua laus eſt, da ut ea cogitem: ac quicquid vel verbis, vel re faciam, id in Domini Jeſu nomine faciam. Phil. 4. 8. Col. 3. 17.

Tu mihi Cuſtos es, vitam meam tuere ab omni malo. Me & euntem, & redeuntem tuere deinceps in ſempiternum. Atque propter omnia quibus me afficis beneficia, extollam Te, mi Deus, tuúmque nomen in perpetua commendabo ſæcula; qui adeò magnus, adeò laudabilis es, ut tua ſit inexplicabilis magnitudo. Pſal. 121. 5. 7. 8. Pſal. 145. 1, 2, 3.

Miſerere etiam omnium hominum, O clementiſſime Pater, qui omnes homines ſervari vis, & ad veritatis cognitionem venire. Benedicas præſertim omnibus Chriſtianis, iis verò imprimis, qui aut imperium & poteſtatem in me habent, aut cognationis, aut neceſſitudinis, aut familiaritatis, aut viciniæ vinculis mihi connexi ſunt; tam me, quàm illos tuo ducas conſilio ac deinde ad gloriam cooptes per Jeſum Chriſtum Dominum noſtrum. *Amen.* 1 Tim. 1. 2. 4. Pſal. 73. 24.

Oratio

Oratio Veſpertina ex Literis ſacris, &c.

Neh. 1. 5. O Deus ſancte & metuende, qui pacto ſtas, & clementiâ uteris erga Tui amantes, tuáque præcepta
2 Sam. 7. 22. conſervantes. Ita magnus es Domine, ut non ſolùm nemo Tibi par ſit, ſed ne Deus quidem ſit ullus præter Te. Tua eſt Majeſtas, & potentia, & de-
1 Paral. 29. 11. cus, & dignitas, & autoritas, denique omnia & cœleſtia & terreſtria tua ſunt; tuum eſt regnum & ſupra omnia excellens principatus. Ingentia
Apoc. 15. 3, 4. & mirabilia ſunt quæ Tu feciſti, Domine Deus omnipotens: juſta, veráq; ſunt inſtituta tua, Sanctorum Rex. Quis Te non metuat, Domine, tuúmq; nomen celebret?

Habe quæſo & oculos apertos ad
Neh. 1. 6. reſpiciendum famulum tuum, & aures attentas, ad exaudiendas preces, qui-
Apoc. 4. 11. bus Te hodiè interpello. Tu condiſti omnia, eáque tuâ voluntate & ſunt, & condita ſunt. Hominem verò
Gen. 1. 26, 27. ad tuam ipſius imaginem feciſti, Tui ſimilem; eum aliquantulo inferiorem Angelis, propemodùm Deum feciſti,

ſti, tantâque gloriâ, & autoritate ornaſti, ut tuarum operibus manuum illum præfeceris Dominum, omniáque ejùs pedibus ſubjeceris. Pſal. 8. 5, 6, 7.

Atat! homo, ipſa imago gloriáque Dei, homo, qui à Te factus eſt probus, multas atque malas quæſivit rationes, relictâque cœleſti luce quam Tu illi cum naturæ puritate infuderas, Satanæ aurem præbens, miſerè defecit. Quæ perverſitas in primo noſtro parente initium capiens, lege illâ propagationis quâ ex carne caro naſcitur, ad totam ejus poſteritatem deducta eſt ac derivata. Eóque pacto per unum hominem peccatum in Mundum intravit: & per peccatum mors; atque ita ad omnes homines pervaſit mors, quatenus omnes peccarunt. 1 Cor. 11. 6. Eccl. 7. 29. Gen. 3. 5, 6. Joh. 3. 6. Rom. 5. 12.

Certa autem res eſt, & omni approbatione digna, filium tuum, Chriſtum Jeſum in mundum veniſſe ſervatum ſontes, inter quos ego certè annumeror, ſi non ſim vel eorum primus. Ego qui apud Te Dominum armipotentem loquor, homo ſum immundis labiis, & inter homines labiis immundos habito. Quod ſi ex arâ tuâ ſumptus carbo candens ori meo 1 Tim. 1. 15. Eſai. 6. 5, 6, 7.

ad-

admotus fuerit, meáque labra tetigerit, continuò abibit culpa mea, pec-
Heb.9.14. catóque meo dabitur venia. Si Chri-
Heb.10.22. ſtus tuus qui pro ardentiſſimo ſuo in nos amore, per æternum Spiritum, ſeipſum in arâ crucis Tibi libavit innocentiſſimum, conſcientiam meam à mortuis operibus purgaverit, Te Deum viventem colam, accedens cum vero animo, plenâque fide.

Rom.6.18. Scio, Domine, non habitare in me, hoc eſt in meâ carne, bonum. Quinimò in præſtantiſſimis meis operibus
Eſai.1.22. ineſt imperfectio: argentum meum
Luc.18.13. ſcoriâ circumobrutum eſt: meracum meum aquâ miſtum eſt: adeò ut, ſi ad meipſum reſpicio, procul abſiſtens, ne oculos quidem in Cœlum attollere audeam.

Tu verò Deus propitius eſto mihi
Heb.9.28. ſonti propter Jeſum Chriſtum, qui ſemel ad tollenda multorum peccata libatus, iterum ſine peccato conſpicietur expectantibus ſe ad ſalutem. Cúmque per hunc peccatorum venia hominibus nuncietur, ac ab omnibus à quibus per Moſis Legem ſolvi nequiverunt, per hunc quicunque credunt ſolvantur; da, quæſo,

ut

ut in eum credam quem Tu misisti, & propter quem eximiis tuos maximisque promissis donasti, ut per ea fiant divinæ participes naturæ, & mundanam cupiditatis corruptelam effugiant. Faxit Spiritus tuus ut in hoc omni studio incumbam, acquirens in fide meâ virtutem, in virtute scientiam, in scientiâ temperantiam, in temperantiâ patientiam, in patientiâ fraternum amorem, in amore fraterno charitatem. Hæc in me insint, & abundent, méque non otiosum aut inertem efficiant, ad Domini mei Jesu Christi cognitionem. Joh. 6. 29. 2 Pet. 1. 4, 5, 6, 7, 8.

Te Deus collaudat anima mea, sanctum tuum nomen intima mea viscera totis viribus prædicant. Te celebrat animula mea, tot tuorum beneficiorum haud immemor; qui meis tot vitiis ignoscens meos tot morbos sanas; qui vindicas ab interitu, ab interitu sempiterno, vitam meam, clementiâ me & misericordiâ coronans. Immortales Tibi gratias ago, Deus Patérque Domini nostri Jesu Christi, qui nos pro tuâ singulari misericordiâ Christum suscitando, regenuisti in vividam spem, ad immortalem, Psal. 103. 1, 2, 3. 1 Pet. 1. 3, 4, 5.

impollutam, & invietam hæreditatem, nobis in cœlis repoſitam, qui divinâ potentiâ per fidem cuſtodimur ad ſalutem.

Gen. 48. 15. Tibi benedico, Pater Cœleſtis, qui me ex quo natus ſum ad hunc diem rexeris, méque hodiè conſuetâ tuâ benignitate non deſtitueris. Jámque Pſal. 121. 4. Te precor, O Cuſtos Iſraelis, qui neque dormis, neque dormitas unquam, cuſtodi me per noctem hanc ab omni malo, mihique ſomnum da Pſal. 4. 8. ſalubrem, quippe qui me ſolus ita in tuto collocas, ut quietè cubem ſimul atque dormiam.

Adeſto præſens etiam omnibus Te Pſal. 145. 18, 19, 20. invocantibus, omnibus qui Te fidentèr invocant. Voluntatem fac eorum, qui Te reverentur, eóſque quiritantes exaudiens conſerva. Tuere omnes Tui amantes. Benedicas Eccleſiæ tuæ, quam Chriſtus uſque adeò amavit, ut ſe pro Eph. 5. 25, 26, 27. eâ dediderit, quò eam ſanctam redderet, ac ſibi præſtaret glorioſam Eccleſiam, nullâ maculâ aut rugâ, aut ullâ tali re deformatam. Da Filio tuo Pſal. 2. 8. Act 2. 47. Gentes in hæreditatem, Orbis fines in poſſeſſionem. Servandos quotidiè addas Eccleſiæ: Atque coercitâ impiorum

piorum perverſitate, juſtos confirmes, O Juſte Deus. Pſal. 7. 9.

Sis Pater Pupillorum, patronus Viduarum. Sis præſidio tenuibus, præſidio in temporibus adverſis. Libera conquerentes pauperes, & defenſore carentes egenos. Propter inopum calamitatem, propter miſerorum gemitum ſurgas, Domine, ut promiſiſti, & eis ſalutem contra eorum contemptores afferas. Pſal. 67. 6. Pſal. 9. 9. Pſal. 72. 12. Pſal. 12. 5.

Benedicas Regibus Chriſtianis, & omnibus poteſtate pollentibus, eis ſpeciatim, quos Genti noſtræ præfeciſti, ut tranquillam quietámque vitam agamus, cum omni pietate ac gravitate. 1 Tim. 2. 2.

Defende Unctum tuum ſalutaris dextræ tuæ viribus; ut in tuâ potentiâ gaudeat Rex, ínque tuâ defenſione exultet majorem in modum; ut populum tuum ex æquo, tuos inopes ex jure judicet. Ætatem ætati ejus adjice, annóſque ſæculis perpetuandos. Pſal. 20. 6. Pſal. 21. 1. Pſal. 72. 2. Pſal. 61. 6.

Effice ut Epiſcopi, Presbyteríque Ovile Chriſti paſcant, id non inviti, ſed ſponte curantes, non avarè ſed alacriter, ut qui ſint exempla gregis; 1 Pet. 5. 2.

quò, cum advenerit pastorum Magister, nunquam flaccescentem accipiant gloriæ coronam. Pareántque greges Gubernatoribus suis, qui pro animis eorum vigilant, ut rationem reddituri.

Hebr. 13. 17.

Denique, Deus pacis, qui ex mortuis revocasti, magnum illum ovium pastorem, Dominum nostrum Jesum, nos omnes ritè componas in omnibus rectè factis, per eundem Jesum Christum, cui Gloria in omnem perennitatem. *Amen.*

Col. 1. 16.

Imprim.

Improbi peccatoris ad frugem redeuntis Confeſſio ſupplex humiliſque Oratio.

O Terribilis, mirifice, omni laude celebrande Deus, cujus fulgore obtenebrantur ſtellæ, ante cujus etiam non irati Majeſtatem, Angeli faciem ſuam operiunt, montes liquefiunt, terra tremit, mare fugit! Quàm formidoloſa eſt juſtitia tua, cui ferendæ nemo par ſit? Quàm ſevera indignatio, quâ in contumaces ſontes excandeſcis? Quàm intolerabilis vindicta, quæ, ſi ſemel accenſa ſit, penetrat uſque ad inferni noviſſima?

Vitæ anteactæ perditos dies in amaritudine animæ meæ revolventi mihi, & ſerium de iis examen inſtituenti, non poſſunt non horrori eſſe tot divinæ tuæ legis prævaricationes, atq; toties violata fides, quâ Chriſto in Baptiſmate nomen dedi. Si verò mentis obtutum in ea figo, quæ ventura ſunt; impendentia tua judicia totis artubus tremens expaveſco, contemptíſque levibus illis divitiarum, honorum, ac voluptatum præſidiis, quæ nec iratum numen lenire, nec conſcientiæ vulnera ſanare poſſunt, ad ſolitudinem hanc me jam recipio, ad intimum animi dolorem, ama-

ras lacrymas, atque altè petita à corde ſuſpiria.

Equidem ſi me voco ad calculum, meos ſupputans errores; ſi peccata in brachia, in ramos, in ramuſculos diſſeco; ſi appendo qualitates, quantitates, circumſtantias, innumeráſque exaggerationes; ſi eo modo progredior in hoc peccatorum Oceano, fluctibus undiq; jactor, undique mihi occurrit pontus, nullus portus, nulla ſtatio: quò plura tranſmitto, major ſemper congeries oculis ingeritur, altæque moles aſſurgunt, nec propriis viribus contendenti ſpes ulla evadendi apparet. At è profundo malorum ad Te clamo, Domine, miſerere mei, miſerere mei. Obrutum, ſepultum, ſuffocatum, Inferorum portæ circumdederunt me; tantâ verò immerſum abyſſo, extrahat, quæſo, manus tua, propter Jeſum Chriſtum, cujus ſanguis pro nobis effuſus immenſam peccatorum illuviem, expurgare, expiare, delere poteſt.

Ab ipſo ortu, fateor, Domine, naturæ meæ depravatione fuiſſe me ignominiæ vas, carnis, mundi, & Satanæ mancipium, ad officia Tibi & hominibus debita perquam ineptum, ad nihil ferè idoneum, niſi ad fruges conſumendas, horas bonas malè locandas, pravas implendas concupiſcentias, irámque in diem iræ congerendam.

Juventutis

Juventutis verò meæ, qui lubricam iſtam ætatem voluptatibus penè totam dedi, ea furunt errata, ut non ſolùm animus à factis, ſed aures quoque à commemoratione abhorreant. Curſu ſcilicet præcipiti ruentem in peccatum, nec deterruit juſtiſſima tua indignatio, neque ſumma dehortata eſt beneficentia, nec revocavit vel ſpes immortalitatis, vel æternæ pœnæ metus, nec retrahere potuit ipſa quidem nativa vitii turpitudo, neque mille incommoda quæ etiam in hac vitâ peccantem ſequuntur, infamia, diſpendium rei, egeſtas, contemptus & odium bonorum, anxietas animi, & ille multò miſerrimus conſciæ mentis cruciatus. Etenim cum divina atque humana jura ſcelere nefario polluerim, inde gravis angor, diræque ſolicitudines animum meum noctes atq; dies ita exedunt, ut nequeam ſomnum capere, imò ne ſpirare quidem ſine metu poſſim.

Non ignoravi in Te, magne Deus, me vivere, movere, & eſſe: non neſcivi oculum tuum omnia penetrare, nec longè ab unoquoq; noſtrum abeſſe. Nihilominùs, etiamſi rebus meis interſis, prudens, ſciens, peccavi. O inſaniam perpetuis lacrymis deplorandam! uſque adeò cum ratione, cum ſcientiâ inſanire, quódq; ſcelus eſſe pro certo habui, iſtud admittere! ídque non ſolùm inopinanter, & ex improviſo, ſed conſultò & ad deliberandum ſuppetente

tempore, reluctante interim & me redarguente propriâ conſcientiâ. Quod enim conſcientia non faciendum eſſe pronunciavit, facti tum periculum, tum pravitatem exponens, id ipſum non obſtantibus internis illis monitis perpetrare auſus ſum.

Præterea frequens eorundem peccatorum repetitio, idque poſt vota & propoſita emendandæ vitæ quàm plurima, reatum meum impensè adauxit; adeò ut votis violatis perjurii crimine obſtrictus ſim, & longâ conſuetudine ad confirmatum peccandi habitum pervenerim. Huic accedit, quòd obdurato corde, præfractóque animo in noxâ ſæpenumerò perſtiterim, cum emendationem meam Tu, benigne Deus, extraordinariis remediis adhibitis molitus ſis, veluti ægritudine, aut calamitate aliquâ inflictâ, ad me reducendum ab errore vitæ. Tot ſunt graves exaggerationes, tot malæ circumſtantiæ, quæ reatum meum amplificant, & ſceleris atrocitatem planè demonſtrant.

O intolerandam inſolentiſſimæ mentis audaciam! me, vermem, pulverem, nihil, tantis contumeliis afficere ſummum Deum, Cœli Terræq; Dominum! Si me jam infra homines univerſos dejiceres, O ſancte Deus, ut tanquam canis mortuus viliſſimus habear, ab omnibus conculcer, & indigniſſimè tracter, ne

tunc

tunc quidem indignè tractarer quandoquidem ita merita ſunt peccata mea. Imò verò etiam ſi omne calamitatis genus, cum irâ tuâ conjunctæ, mihi tanquam veſtis quædam adhæreret; ſi miſeria mihi perpetua quaſi pallium eſſet, quo totus operiar, & quaſi cingulum, quo ſemper accinctus prodeam, dignum certè meorum ego ſcelerum à Te præmium reportarem.

Qualem verò Te mihi præbuiſti, clementiſſime Pater, quantâque mecum egiſti lenitate, contra quem optimo jure cœlitùs detonare, quem tuo fulmine ad ima Tartara detrudere poſſes? Quod ſi mihi aliquando plagam inflixiſti, omnem tuam ſeveritatem ſuperavit miſericordia. Non vis enim ſontium exitium, ſed quantacunque fuerint prioris vitæ peccata, Tu veram de præteritis pœnitentiam agentes, & corrigendis in poſterum moribus ſincerè ſtudentes, ſummâ animi in eos propenſione & amore ardentiſſimo excipere paratus es; imò eò uſque Tibi grata eſt peccatoris reſipiſcentia, ut quendam in cœlis triumphum pariat, apud divinos Angelos lætitiâ factâ, ob unum ſontem qui ad frugem redeat.

Hanc pœnitentiam mihi, quæſo, virtute ſancti tui Spiritus ingeneres, ut ad Te redeam pleno aſſenſu mentis, firmo voluntatis propoſito, affectuum veliemente impetu, valido virium

virium conatu : ut converſio mea penitùs cordata ſit, vera, & ex animo, non ficta, fucata, hypocritica; ſeria & ſolida, non ludicra, levis, perfunctoria; diligens & efficax, non imbecillis, remiſſa, ignava; integra denique & perfecta, non conciſa & mutila.

Qui intimo diſplicentiæ ſenſu, quòd in Te peccaverim, animum meum tetigiſti, perge, quæſo, benigniſſime Deus, me jugiter extimulare ad ſolicitudinem, diligentiam & attentionem, ut à Diaboli laqueis me penitùs explicem, omnibúſque Mundi & carnis inſidiis; meliúſque mihi caveam, ne à Spiritus tui gubernatione poſthæc excidam. Reforma in me imaginem tuam, quæ adeò fœdata, & tantùm non obliterata eſt. Animam meam verâ ſanctitate intinctam, novis & cogitationibus & affectibus imbue, ut nova jure haberi queat, veteríque meo homine crucifixo peccati corpus emoriatur.

Propter amorem quo Chriſtum Jeſum Filium tuum proſequeris, à Te peto & ſummè contendo, non ſolùm ut gravia mihi mea delicta condones, ſed ut à Tyrannide Satanæ, peccati jugo, & miſerâ vitiorum ſervitute liberatus, in regnum tuum tranſeam, Tibíq; deinceps per totam vitam fideliter ſerviam, mandatis tuis non tantùm cognoſcendis, ſed etiam

etiam reipſâ præſtandis intentus. Cum autem Chriſtus ob cujus ſolius merita remiſſionem expeto, mortem pro nobis ſubierit non modò acerbiſſimam, verùm etiam maximè ignominioſam pariter ac maledictam, utinam quæ pro nobis perpeſſus eſt magnus ille Liberator ita meminerim, ut omnem ei amorem & obſequium aſſiduè perſolvam, illius gratiâ nec acerbiſſima quæque, nec mortem ipſam refugiens.

Præterita quorum pudet pigétque mutare non poſſum; Oſi mihi largiaris eam prudentiam ac ſolertiam, ut præcipiam cogitatione futura, memórque fragilitatis meæ, peccandi occaſiones ſtudioſiſſimè devitem, & ad quemlibet malæ rei objectum timore perculſus, protenùs reſiliam, atque exhorreſcam, nec unquam poſthæc quod tot cruciatus peperit audeam repetere.

Hei mihi, ex elapſis vitæ diebus vix unicum proferre poſſum, integræ virtutis teſtem, qui non fuerit aliquâ labe pollutus. Unaquæq; ætas mea ineptias ſuas, ſuámque noxam habuit. Poſt omnes annos jam inde à cunis, nihil ferè ſupereſt niſi dolor, & tetri fructus iniquitatis. O ſi daretur reverti ad infantiam, & telam de novo exordiri! quàm meliori textu omnia concinnarem! Sed quorſum hæc vana irritáque vota? Utinam potiùs jam

ſine

ſine morâ incipiam reliquo vitæ tempore bene uti. O ſi ea nunc confeſtim deſeram, quæ tunc vellem deſeruiſſe, ut momentaneis renuncians æterna conſequar per Jeſum Chriſtum Dominum noſtrum. *Amen.*

Oratio pro remiſſione peccatorum, divinæque gratiæ in moribus corrigendis auxilio.

SAnctiſſime, clementiſſime, benigniſſime Deus, cujus inerrabilis erga nos dilectio eò progreſſa eſt, ut proprio tuo filio non peperceris, quin pro nobis ipſum traderes; adeóq; juſtitiæ tuæ ſeveritatem in Redemptorem noſtrum ſummo jure exercitam, cum incomprehenſâ tuâ erga nos miſericordiâ conciliares. Tanto illectus amore ex intimis animi penetralibus Te invoco; præbe quæſo aures attentas meæ voci ſupplici: nec in jus mecum, qui tuus ſum, venito, ſed mihi atroci peccatori propitius eſto, propter merita magni illius liberatoris, qui coram homine mortali, imò etiam impio & profano damnari ſuſtinuit, ut quod ex reatu nos manebat, ad cœleſte tuum Tribunal, horribile judicium effugere poſſemus.

In Supplicio Chriſti liceat mihi certè, quid ſit peccatum, velut in ſpeculo contemplari, dum

dum in unigenitum illum, & dilectum filium, tantam tuam iram derivatam, omniúmque juſtorum juſtiſſimum furori tuo ſubjectum video; quippe qui juſtitiæ tuæ ſeipſum obtulit in victimam & expiationem pro noſtris rebellionibus. Atat cum tuæ in peccatum indignationis ſpecimen tam illuſtre, ante oculos habuerim, quando tandem me pudebit mihi peccando placere? Quando metuam Te contumeliis afficere? Atque cum tam benignâ mecum hactenus egeris lenitate, nihílque de tuo in me amore remiſeris; nunquámne ego mortalium ingratiſſimus à Te dedecorando intermittam? Tam potentibus monitis ad pœnitentiam invitatus, ſemperne triſtitiâ afficiam Spiritum tuum ſanctum? Quando tandem ſuſpiria illa ineffabilia, ex imo pectore ad Deum uſque ducam, triſtitiâque illâ ingemiſcam, quæ eſt ſecundum Deum ad ſalutem? Quando cor illud contritum & afflictum Tibi offeram à Te minimè neglectum? Nunquam profectò hoc faciam niſi me totum à capite ad calcem immutes. Immuta me igitur, Domine & Pater clementiſſime, & illud tuum ſanctum opus, propter ſanctum nomen tuum, ſanctíque Jeſu Interceſſionem, in me, quæſo, perage.

Da precor, ut errorum vitæ mihi conſcius, ſeriò mecum perpendam, quot bonis excide-

rim,

rim, quantis me miſeriis implicuerim, quàm impiè, iniquè, ingratè, optimum Patrem ac Dominum tractaverim, quantam à me bonitatem alienaverim, qualémque adverſus me potentiam irritaverim, ut in hiſce cogitandis magnâ triſtitiâ ac ſolicitudine afficiar, meáq; peccata tot malorum cauſas, tam acerbi doloris origines, valdè deteſter. Iſtam porrò præguſtatæ amaritudinis memoriam animo meo ita inſculpas, ut ad vitam in poſterum meliùs inſtituendam me ſtimulet, ne in illa rurſus me ingeram, à quibus tam vehementer doluiſſe me recorder, ſed à vitiis omnibus abhorream, qui vitiorum acerbos morſus præſenſerim.

Fateor equidem nimis obnoxius ſum pravis affectibus & cupiditatibus, iracundiæ, ſuperbiæ, intemperantiæ, avaritiæ, & multis aliis animi morbis. Ex quibus lætitiam ſperare debui, ex iis dolore affectus ſum; & contra lætitiam percepi, de quibus me doluiſſe decuerat. Conſpectis laboribus & difficultatibus, metu & torpore languet animus: at verò oblatis voluptatum illecebris tanto ſæpe impetu præceps feror, ut nihil me cohibeat; nec ulla tua mandata, quibus in officio continear, veniant in mentem; aut ſi veniant, ſtatim rejiciantur inaudita; atque quibus rarò quicquam denegare poſſum, cupiditates, ac voluptates rationem

nem omnem, omnémque religionem vincant meam. Nec ulla certè eſt tanta inertia, ſtupiditas, infidelitas, ac perfidia, in quam non incidam, ſi vel tantillùm ab adjuvante tuâ gratiâ deſerar.

Quocirca mihi ipſi, viribúſque meis prorſus diffidens, ad tuam, benigne Deus, miſericordiam confugio, & majorem in modum à Te peto, ut luce Spiritus tui tenebras meas illuſtres, pravis affectibus, ac vinculis terrenis me exolvas, cor meum ſurſum ad Te erigas, efficiáſque in me & velle, & perficere, qui ne ad cogitandum quidem quod bonum eſt ex meipſo ſum idoneus. Promiſiſti remiſſionem converſis ad Te: at hoc donum tuum eſt, ut quis toto corde ſuo ad Te convertatur, ut omnis bonitas noſtra ad gloriam tuam redundet.

O Creator omnipotens refice Opus tuum quod formaſti, ut deponam, quod ad ſuperiores meos mores attinet, veterem hominem, qui fallacibus perit cupiditatibus, & mentis meæ ſpiritu renover, ac novum hominem induam, conditum divinitùs, cum juſtitiâ verâque pietate.

O Redemptor ſummè miſericors, ſerva quod emiſti tanto pretio, nec me penitùs interire ſinito, qui Te ſequar, Tibi innitar, omnémq; in Te ſpem collocem.

O

O divine Spiritus, ſanctitatis Author, ad pulcherrimam Dei imaginem, me totum renova, refinge, confirma, ut indies peccato moriar, juſtitiæque vivam.

Sancta, Sancta, Sancta Trinitas, tres Perſonæ, une Deus, eâ prudentiâ, eâ ſinceritate, eâ patientiâ me imbue, ut in unaquaq; actione mentis aciem rectè ſemper intendens, quod honeſtum decorúmque, tuæque voluntati conſentaneum ſit, intueri queam, támque conſtanti amore erga honeſtum afficiar, ut nullis illecebris, nullis minis, nullâ ſpe, nullo timore, nullâque aliâ animi perturbatione, ab hoc honeſti ſenſu poſſim abduci. Eam mihi magnanimitatem largire, quæ ſolidâ immortalitatis ſpe paſcitur, quæque humana omnia ad ſe vix pertinere putat. Eâ fortitudine me dona, ut ferrum, flammæ, æquuleus, exilia, proſcriptiones, mors denique vel crudeliſſima à confeſſione Tui me nunquam deterreat.

Utinam nihil agam temerè & inconſultò, nec committam quicquam contra monita propriæ conſcientiæ, ſed eam in minimis juxta ac maximis, integram & intemeratam conſervare ſtudeam. Sempérque poſſideat animum meum ſtabile propoſitum me ſubducendi à peccati irritamentis, omniáque faciendi, quæ ſint in meâ poteſtate ad veram virtutem acquirendam.

Adſis

Adſis Tu mihi, benigne Deus, Fautor & Adjutor in omnibus meis conatibus, quibus pietati, juſtitiæ, ſobrietati, operam dare, vitiáque oppoſita in me penitus extinguere & delere cupio. Nulla enim eſt tanta vitiorum moles, quæ divinæ tuæ potentiæ reſiſtere poſſit, quin Te jubente diruatur funditus, & in vagum pulverem diſpergatur.

Fac ut ſemper meminerim, quàm divina res ſit virtus, quamque ineffabilis, perfectóque animum implens, in virtute ſit voluptas, cum homo mortalis ad divinum tuum Numen Lumenque ſpectans, velit atque faciat, quod in datis circumſtantiis ipſe Tu faceres, Glorioſe Deus. Utinam denique ſerio & quotidiè de hujus caduci corporis morte mediter, déque animæ meæ immortalitate, æternáque illâ in ſinu tuo, quam fidelibus omnibus promiſiſti beatitudine; ut cogitans qui ſim, ac ad quantam fœlicitatem natus, dum meam cum cœleſtibus agnationem ante oculos propoſitam habeo, contemptis omnibus exiguis hujus mundi rebus, curam omnem ad ſuperas & cœleſtes (quæ ſolæ ſeriâ curâ dignæ ſunt) aſſidue conferam. Neq; tanto præmio concitatus, mediocri virtute contentus ſim, ſed optimis illius officiis jugiter antecellere omni animi contentione enitar, ut ſummâ in Te pietate, in bonos fide, in omnes juſtitiâ

ad beatas istas sedes facilior mihi pateat aditus, per Jesum Christum Dominum nostrum. *Amen.*

Oratio tempore afflictionum, aut rerum adversarum.

BEnignissime Pater qui hujusce vitæ sublevas miserias, imbecillitatem erigis, solaris viduitatem, instruis inopiam, lenis acerbitates, & miselis hominibus, numen tuum invocantibus, Te præsentem ubiq; & clementem Deum impartis. Ipsa ira tua mitis est, severitasque justitiæ salutaris. Quas infligis pœnæ naturam habent remedii, & ad correctionem destinantur: adhoc utiles sunt, ut melior & fœlicior tandem evadat, qui eas perpetitur: non ex purâ vindictâ procedunt, non ex mero odio, sed à prudenti castigatione, paternâque disciplinâ cum propenso amore temperatâ. Quocirca licet antequam peccator resipiscat, à supplicio irrogando non absistas, tamen cum propositum tuum severiori istâ ratione obtinueris, cùm perversum rectum feceris, aberrantem reduxeris, malè affectum ad sanam mentem restitueris, ultrò Tibi defervescit ira, intimè reconciliatur animus, serenior apparet vultus, seponitur flagellum:

tum

tum favoris amplo cumulo præterita supplicia compensas, & ad bonam frugem revocatum prodigum tenerrimo affectu complecteris. Est enim Deus ex indole æternâ, necessariâ, & immutabili, benignus, misericors, placabilis.

Misereris igitur mei, quæso, pro tantâ tuâ, quâ præditus es clementiâ. Efficiat in me tua, quam in ipsis pœnis exerces, bonitas sincerum contritionem, & perfectum peccatorum meorum odium, ut ad Te convertar toto corde, viramque reformare, & mores emendare quotidie studeam. Hunc, oro Te, assequantur finem, omnes quas patior afflictiones, ut me tandem diligenter corrigens, Iram tuam: & inde orundas calamitates evitem.

O quàm necessariæ sunt castigationes tuæ? Quid enim de me fieret, si perpetuo bonorum ac fœlicitatis concursu hic fruerer, qui assiduis afflictionum stimulis, vix possum expergefieri, ad reputandam hujus vitæ vanitatem, ac brevitatem? Quamvis enim humana omnia instabilia esse, & fumi vel umbræ instar evanida, tum mihi tum omnibus notum sit; veruntamen nulla ferè res est, quam vel negligentius expendam, vel minus meminerim. Quam sæpe ea molior, ea facio, quibus peragendis quandam quasi immortalitatem mihi in terrâ constituere videar? Tot blanditias habet præsens vita, tantam amœnitatis, gra-

tiæ, ſuavitatis ſpeciem, tot lenocinia quibus pelliciar, atque faſciner, ut non mortis tantùm, ſed mortalitatis quoque ipſius nimium oblitus ſim.

Hinc cum ad gloriosam in cœlis æternitatem, toto vitæ curriculo aſpirare, & eniti debeam, in mundi hujus amore tenaciter inhæreſco. Conſilia, ſtudia, facta mea terram ſapiunt. Opum, potentiæ, honorum, mani fulgore perſtricta mens hebetatur, ne longiùs cernat. Cor avaritiâ, ambitione, libidine occupatum degravatur, ne altiùs aſſurgat. Denique tota anima carnis illecebris irretita, nimium ſæpe fœlicitatem in terrâ ſuam quærit. Huic autem malo ut occurras, Domine, crucis diſciplinâ, & aſſiduis miſeriarum documentis, me de præſentis vitæ vanitate edoces. Variis ærumnis, periculis, & calamitatibus ob oculos mihi ponis, quàm inania, fluxa & caduca ſint iſta omnia mortalitati obnoxia bona. Da igitur ut ex eo diſcam, nihil hic quærendum aut expectandum aut ſperandum, quàm certamen, attollendoſque in cœlum oculos, ubi de coronâ cogito. Quocunque autem tribulationis genere premar, reſpiciam ſemper hunc finem, ut aſſueſcam ad præſentis vitæ contemptum, indeq; ad futuræ deſiderium ac meditationem.

Fateor equidem innumera & quotidiana mea delicta severius, & gravioribus ferulis castigari meruisse, quàm quæ mihi à Clementiâ tuâ infliguntur. In afflictionibus meis indubia tua æquitas apparet, nec possum sine iniquitate, vel obmurmurare, vel obluctari. Cum autem eo ipso quòd me affligas, saluti meæ consulas, utinam quas salutares mihi tribulationes esse constat, grato placidoque animo suscipiam, Tibi ut medico peritissimo, clementissimóque me totum committens.

Optime perspicis, benigne Deus, quid mihi expediat, utere me pro arbitrio tuo. Sive porrigis amarum absinthium, immissis trifilibus; sive blandioribus foves remediis; sive secas sive uris, fideli manu sanitatis meæ peragis negotium. Tu castigas quos amas, partim ut peccata corrigas, partim etiam, ut eos patientiâ imbuas, & filio tuo reddas conformes. Quàm stultus fuero si Tibi non credam, qui docuisti nos, bonis omnia in bonum cedere? Quàm ingratus erga divinam tuam benignitatem, si solùm cogitem, quid abstuleris solatii, non item, quantum immerenti reliqueris? Ne sinas igitur, ut præ animi mollitie, in hisce rebus asperis succumbam; sed eam mihi fidem largire, quâ oculos attollam, ad divinam tuam Providentiam, quæ suaviter sic omnia dispensat, ut ista quoque quæ mole-

molestissima sunt carni, salutaria sint Spiritui.

Si non visum fuerit Sapientiæ tuæ, me statim liberare ab iis quibus premor angustiis; tamen ita, quæso, temperes afflictionum magnitudinem tuamque vicissim gratiam opitulatricem, ut non sinas me obrui malorum undis, sed rebus deploratis, lætum tandem addas exitum. Interim dona me, quæso, eâ fortitudine, ut in his quæ patior adsit mihi æquus, constans, & infractus animus, optimum illud ærumnæ condimentum: ut nec venientia mala metu augeam, nec interore præsentia. Quod allatura est ipsa diuturnitas, quæ maximos luctus vetustate tollit, id me præcipere doceas consilio, prudentiâque; neque expectem temporis medicinam, quam repræsentare ratione possim. Quodque attinet ad caduca & mobilia hujus mundi bona, eorum ego non tam facultatem & copiam à Te expeto, quàm & in utendo rationem, & in carendo patientiam.

Cum autem vitæ hujus momentaneæ sordescere debeant omnia, præ æternâ beatitudine, quam cunctis in Christianâ fide & obedientiâ perseverantibus promisisti, effice quæso, ut ad beatæ illius æternitatis metam oculis semper intentis, strenuè defungar cursu mihi præstituto, nullis viarum difficultatibus animo concidens;

coccidens: donec tandem brevis hæc levisque mea calamitas, sempiternam illud ineffabilis gloriæ pondus mihi pepererit, propter merita Jesu Christi, qui per supplicium crucis viam fecit ad illam summam gloriam, in quâ tecum O Pater, & tecum O sancte Spiritus, vivit & regnat unus Deus in sæcula sæculorum. *Amen.*

Oratione alia in adversis.

PRopensâ in Filios tuos voluntate, & Virtutum tuarum teneritudine, Omnipotens Pater, terrenos quoscunque partutes, supra gradum & comparationem omnem longè exuperas: nec unquam tuos castigare soles, quòd odio habeas, sed quod amore verissimo prosequaris. Itaque non solum cum humili creaturæ reverentiâ, sed etiam intrepidâ filii fiduciâ, accedo ad thronum gratiæ, cui Tu insides, à quo omnia illa liceat expectare, quæ à patre summo bono, & de liberis suis maximè solicito sperari possint & debeant. Potentia tua invicta est & insuperabilis, justitia & æquitas inflexibilis, ingens & immensa misericordia. Facere potes quicquid vis, invitis licet omnibus rebus creatis: neminis tamen injuriam unquam facis, sed

ſed in omnibus operibus & judiciis tuis rectitudinem perfectiſſimam, quâ ſuum cuique tribuitur, perpetuò ſervas, ac jus æquiſſimum exerces, non ſine bonitatis atque clementiæ temperamento.

Uſquequaque cogor majorem in modum timere Te, in cujus manu eſt omnibus hujus vitæ calamitatibus me exponere, corpuſque & animam in gehennam mittere. Nec auſus ſum murmurare contra Te vel præcipientem, vel tentantem, vel viſitantem, vel punientem. In cunctis quæ mihi accidunt infortuniis, Providentiæ tuæ & agnoſco miſericordiam, & amplector juſtitiam. Sub flagellis tuis gemens, eorumque cauſam expendens, ſtatim deſcendo ad reputanda peccata, eaque ſummâ cum demiſſione agnoſcens, ad deprecationem ſupplex confugio. In ipſâ quoque tribulationum acerbitate, gratâ mente recolere cupio paternam tuam benignitatem, qui ne tum quidem deſinas ſalutem noſtram promovere, cum in nos paulò gravius ac ſeverius animadvertas: ideoque tantùm nos affligas, ne cum mundo damnemur.

Pro infinitâ illâ quâ res cunctas moderaris ſapientiâ, noſti tuos vel dejectionibus erigere, anguſtus dilatare, oppugnationibus communire, morbis ſanare, moribus vivificare, ignominiis glorificare, atque facere ut omnia

quæ

quæ nobis videntur mala, naturæque sunt molestissima, cedant in bonum iis qui Te diligunt. O utinam tam in adversis, quam in prosperis, ex toto corde, ex tota anima, ex totis viribus Te diligam, tuæque voluntati lubenter & alacriter etiam sub cruce me conformem, spesque totius anchoram figam, non in rerum fluxarum mobilibus arenis, sed in solida nullisque undis cedente petrâ, filio tuo Jesu Christo, Sponso piarum animarum, sic communi omnium, ut etiam proprius sit, ac præcus singulis. Effice quæso ut in ejus sinum plenâ fiduciâ me conjiciam, omnemque solicitudinem in illum unum transferam, cui scio suos omnes curæ esse, pro quibus jugiter apud Te intercedit.

Ita demum in mediis hisce malis & quietus ero, & deliciis fruar; deliciis ad quas collata quæcunque Mundus hic habet suavia, nausea mera est. Hoc pacto Tibi gratias agam non minus in rebus calamitosis, quàm in secundis: imò nihil sanè re verâ malum ducam, nisi quod mihi obstet ad æternam felicitatem aspiranti, nihil bonum, nisi quod eò conducat.

Fateor quidem, stultus ego & ignarus, sæpenumerò prospera esse opinatus sum, quæ fuerunt adversissima; pro adversis duxi, quæ fuerunt prosperrima. At Tu semper rectè judicas,

judicas, & optimè perspicis, quid nobis expediat: de omnibus agitur quæ mihi evenient, judicium sit tuum, voluntas tua, obsequium verò meum. Omnia prospera à Te sunt, à quo nisi proficiscuntur, eo nomine non digna sunt. A Te etiam mihi tuo veniunt adversa, quæ facile vertere potes in maximum pietatis lucrum. Illis infirmitatem nostram solaris, his exploras coronasque fidem. Faxit sanctus tuus Spiritus, ut animæ meæ tam salubris, tamque lucrosa sit adversitas, quàm sensui blanda est prosperitas. Maneat semper mecum sanctus ille Spiritus, ad bonum excitans, à malo retrahens, atque suavissimam in angustiis & ærumnis omnibus consolationem præbens; Faxit idem Spiritus, ut divina castigatio destinatos suos assequatur fines, ut ignis instar sordes absumat, scoriam segregat, & quicquid in me boni est purius reddat; ut animi stolidas opiniones avellat, stupidam incuriam expergefaciat, fastuosos rumores reprimat, indomitas cupiditates compescat; ut conscientiæ veternum excutiat, me moneat, Tui memorem efficiat; vitiorum denique radices extirpet, virtutumque semina insinuet.

Ubi infinitæ tuæ sapientiæ visum fuerit, libera me, Domine, ab iis omnibus, quæ gravia ac infesta videntur: interea loci eâ

me

me sinceritate, prudentiâ, patientiâ ac fortitudine dona, ut decretum mihi figam inviolabile, ne ullâ causâ vel prætextu, vel si cœlum quidem & terra ruinam minitarentur, ullum in me peccatum prudens sciens admittam; sed justitiæ calles qui ad æternam Pacem Quietémque tendunt, stabili semper insistam pede, per Jesum Christum Dominum nostrum, cui, tecum, & Spiritu Sancto, nunc & semper sit omnis honor, laus & gloria. *Amen.*

Gratiarum actio pro rebus prosperis, omnibusq; divinis beneficiis, sive spiritualibus, sive temporalibus.

BEnignissime Deus, omnium mortalium animator, in quo vivo, moveor, & sum; Pater misericordiæ, & omnis consolationis Deus; sapientiæ, virtutis, potentiæ, bonitatis, vitæ, & salutis fons unice, à quo profluit omne donum salubre omnéque perfectum munus. Beneficia tua sunt, quæcunque vel animi, vel corporis, vel fortunæ, sive extra, sive intus possidemus, tuâmq; commendant bonitatem, cujus largitas abundantissima occasiones in nobis semper quærit, miserendi nobis ac benefaciendi. Adeò Tibi dare placet, ut propter hoc omnia condideris, quippe qui voluisses

voluisses habere quæ & quibus dares. Angelos verò & homines ad imaginem tuam creasti, ut dares eis temetipsum; ideoque tales eos fecisti, qui tui ipsius capaces essent.

Sis, quæso, mihi propitius, qui humili cum reverentiâ, ac fideli commemoratione, magna tua in me collata beneficia recolere cupio, ut inde dignas Tibi gratias agam; etiamsi, ut verum fateor, cum referendæ gratiæ vel accuratissimas rationes diligenter exquisivero, ne unius quidem ex tot tuis beneficiis, vel dignitatem, vel magnitudinem assequi potero. Quippe si per centum centies annorum centurias, vita mea prolongaretur, & omnem istam ætatem laudibus tuis celebrandis insumerem; quin & si mihi præsto forent omnes omnium ubique hominum, quot sunt, quotque fuere, quotque futuræ sunt usque ad ævum longissimum, cum mentes, tum linguæ, non possem tuæ laudis, vel millesimam partem celebrare.

At quamquam adeò impar sum eximiæ tuæ liberalitati, nec gratia referri tanta à me potest, quanta Tibi debetur, habenda tamen est, quantam maximam animus meus capiat. Quocirca extollam Te, mi Deus, totâ mente, Te quotidie celebrabo, tuumque nomen in perpetua commendabo sæcula. Semper

per enim pro virili prædicanda est, benignitatis tuæ magnitudo; licet adeò magnus sis, atque adeò benignus, ut nec comprehendi, nec explicari possit, vel magnitudo, vel benignitas.

O quàm misericors, quàm largè bonus es etiam immerentibus, & ingratis, qui bonitate & favore tuo ad tuam ipsius contumeliam abutuntur! Me, me homuncionem indignissimum, ex quo natus sum, ad hunc diem fortunasti & conservasti, ex omnique malo eripuisti! Me Tui tam oblitum illustrasti tuo vultu, meique misertus es; O miram dignationem! Egóne is sum, ut tantà erga me clementiâ utaris, méque huc usque adduxisse parum Tibi videatur, nisi etiam mihi hodie tam prosperos successus dares, támque faustis, uti spero auspiciis futuræ meæ fœlicitati in longinquum consuleres!

Neutiquam profectò me pro meis peccatis tractas, nec me ut digna sunt mea vitia, remuneraris. At verò quanquam arenæ maris numerum meis tot peccatis superavi, Tu me non pœnis, sed beneficiis arenâ maris numerosioribus, & planè innumerabilibus affecisti. Quòties à morte, ab æternâ, quâ dignus fuerim, morte animam meam liberasti? Quoties Oculorum meorum lacrymas compescuisti, pedésque meos, quò minùs cue-

rem

rem retinuisti? Supponunt verò quidem eò usq; detrusus fui, ut quò me verterem nescius, in loco lubrico & ancipiti, periculis undiq; imminentibus miser penderem. Istiusmodi verò difficultatibus auxilio tuo superatis, Domine, quid Tibi vicissim pro omni beneficiorum genere rependam, quæ in me tuum utrâque manu contulisti? Te nimirum summum meum Liberatorem ac Benefactorem nominatim appellabo, omnesque misericordias me Tibi acceptas ferre palam testificabor. Et quæ Domino Deo in ullis periculis constitutus vovi, per omnem vitam meam adjuvante divinâ gratiâ fideliter persolvam.

Celebrabo etiam, quæ non in me solùm, sed in totam Ecclesiam tuam, & in universum genus humanum effusa est, benignitatem tuam amplissimam. At quis humani viribus ingenii res istas tantas, támque mirandas comprehendat, Creationem, Conservationem, imprimis verò Redemptionem nostram per Jesum Christum Magnum quidem fuit, id totum quod sumus à Te accepisse, corpus formosum, variis partibus, & idoneis dotibus tam pulcrè instructum; animam excellentissimæ naturæ, puram, spiritualem, divinam. Sed majus fuit quos peccatum fœdè inquinârat, miserè perdiderat, mortíque

tique & Gehennæ fecerat obnoxios, eos methodo tam præclarâ in salutem, in fœlicitatem, in æternam vitam asseri. Nemo satis unquam mirari potest, aut egregiam illam tuam in nos voluntatem, ac profundissimam miserationum abyssum, ex quâ filium tuum unigenitum nobis dedisti, aut infinitam illam ipsius filii tui charitatem, qui usque adeò benevolè seipsum morti pro nobis tradidit.

Nihil sanè conspicere potuisti in creaturis post lapsum suum tam deformibus, quod favorem & benevolentiam tuam iis conciliaret; at verò vice versâ, abominanda quàm plurima, quæ justam provocarent indignationem. Quinam enim nostri ingénii tenebræ, voluntatis pravitas, & modis omnibus miserandi corporis sordes, immensam illam lucem, bonitatem, ac puritatem in sui amorem pellicere poterant? Solâ igitur tuâ ipsius charitate impulsus es, ut nos peccatores ac inimicos complexus sis, ut ad nos redimendos filio tuo non peperceris. Nec aliâ quidem causâ adductus est filius ille tuus, ad seipsum eò usque demittendum, ut in nostrâ quam assumpsit carne, pro nobis execratio ac maledictio fieret, nisi eâdem illa inenarrabili erga nos dilectione.

O immensam bonitatem! æternum Dei Filium se pro nobis prorsus exinaniisse, atque in Inferorum immersisse gurgitem, ut victoriâ de hostibus nostris reportatâ, supra Cœlos omnes nos eveheret! Equidem cum sanctum Jesum suspiciam, attenteque expendam singularia divinæ clementiæ ac favoris indicia in Evangelio ejus patefacta; cum contempler tantum Deprecatorem intercessisse, pœnam in se recepisse, ac luisse, quæ ex justo tuo judicio mihi omnibúsque peccatoribus imminebat: mala quæ Tibi exosos nos reddebant sanguine suo expiasse: hoc piaculo satisfactum Tibi, ac ritè litatum: hoc Internuncio placatam fuisse iram tuam, adeò ut unicuique nostrum verè pœnitenti, Christóque fidem habenti, peccatorum omnium venia, atque fœlicitas æterna gratiosè promittatur: hinc omni lætitiâ ac gratitudine apprehendo, tam solidam in Christo salutem nobis proponi, ut quicquid ad eam conquirendam & obtinendam necessarium est in ipso abundè reperiam.

Quantâ etiam gratitudine celebrandus es, ob donationem sancti Spiritus, qui fidem, pœnitentiam, sinceritatem, patientiam, spem, charitatem, omnésque divinas virtutes nobis ingenerans, magnam illam Redemptionem per Christum acquisitam, ut eam reverâ

participemus, animabus nostris efficaciter applicet.

Ego certè quidem æternum laudis sacrificium Tibi debeo, quòd Spiritum illum sanctum mihi largitus sis, qui me peccati & miseriæ coarguens, mentisque meæ oculos luce cœlesti illustrans, & voluntatem renovans suasionibus me adducat, virósque mihi sufficiat, ad Jesum Christum, unicum Mundi Liberatorem animitùs amplectendum, & in eum solum pro salute, prout nobis in Evangelio offertur recumbendum. Præterea quòd beatus ille sanctitatis ac consolationis Autor, naturam meam depravatam corrigere, méque ad imaginem tuam refingere dignetur, ut Filiorum tuorum Albo recensus, firmâ stabilique de amore tuo fiduciâ, tranquillitate mentis, internâque pace sinaviter gaudeam, assiduósque faciam profectus in omni pietate ac virtute, donec in morte tandem ad summam sanctitatem, summámque ad gloriam in resurrectione perductus beatificâ Tui visione fruar, perfectámque consequar felicitatem.

Nec ex memoriâ excidat, quòd omnia externa salutis media mihi gratuitò indulseris, quòd intra gremium Ecclesiæ me nasci, & in participationem pretiosorum istorum munerum,

nerum, verbi tui, & Sacramentorum admitti volueris, quòd nec à luce Evangelii, nec à Templis Christianis exul fuerim; quin libertatem, facultatémque mihi concesseris in domum tuam ingrediendi, in publico Fidelium cœtu Te castè, piéque adorandi, cœlestem doctrinam purè atque incorruptè prædicatam audiendi, nomen tuum sanctis Ecclesiæ tuæ invocandi precibus, atq; cœnam Domini ritè legitiméque celebrandi.

Te etiam quotidianis laudibus prosequi debeo, propter misericordias plurimas temporales, veluti prosperam valetudinem, amicos fideles, pacis commoda, sufficientes opes, cœli rorem, & terræ pinguitudinem, frumentum, & vestitum, omniáque necessaria subsidia & solatia, quæ ad victum cultúmque corporis pertinent. O mi Deus quàm multa, & quàm admirabilia, pro humano genere, pro Ecclesiâ tuâ, & particulatim pro me famulo tuo indignissimo gessisti! Quis unquam illa enarrabit? Quis effabitur, cum ne numerari quidem possint?

Perge, quæso, Deus, sicut adhuc fecisti, mei gratuitò misereri, tótque aliis, quibus me abundè locupletasti, donis hoc unum superaddito, ut omnia tua beneficia, tot sint mihi amoris obsequiique incitamenta, quæ

in

in me producant non frigidos quoldam & languidos conatus Tibi placendi, ſed fortes & efficaces; adeò ut nullam non operam & ſumptum cultui tuo impendere geſtiam, divinámque tuam benignitatem imiter, omnibus in univerſum, ſive dignis, ſive indignis benefaciens, nec reſpiciens, quid ex ſeipſis mereantur homines, ſed in cunctis conſiderans imaginem tuam, cui nihil non honoris, & dilectionis debeatur.

Fac denique, ut immenſæ tuæ benignitatis memor, firmiſſimúmque præſidium in eâ collocans, humana contemnam omnia, nullóſque temporum motus, aut viciſſitudines eximeſcam, ſed libens eam, quocunque Providentia me tua deductura eſt, nihilque non mandatis tuis poſtponam.

A Te uno, Domine, pendet anima mea, Te ſitit, & uſque dum potiatur, Te indeſinenter expectabit. Beneficiis cumulatus infinitis amore Tui langueo; nec quicquam eſt in Cœlo, nec in terris, præter Te, Domine, quod animam hanc amore Tui jam transfixam ſatiare vel ſolari poſſit. Et licet indigniſſimus ſim, qui vel Te amem, vel amato frui ſperem, non tamen tam abſterret vilitas mea, & Majeſtatis tuæ ſublimitas immenſa, quam ſuſtinet animóſque addit æquè

immenſa clementia & benignitas; quâ ut ſemper fruar obnixè peto, propter Jeſum Chriſtum, cui, Te cum & Spiritu ſancto fœlicitas, & gloria, & ſapientia, & gratiarum actio, & honos, & potentia, & vires, in perpetua ſæcula. *Amen.*

Oratio tempore Belli ac tumultuum, pro Eccleſiæ hujus Gentiſque Salute, totiuſque Orbis pace.

OMnipotens Deus, qui res in mundo geſtas non otioſus ſpecularis, quin veluti clavum tenens eventus moderaris omnes, ac incomprehenſibili ſapientiâ quæque dirigis ac diſponis ad finem ſuum. Terræ Cœliq; aſpectu ad Te Creatorem animus, ſi attendat ſeſe, ſurgere cogitur: Nec minùs in perpetuo Mundi ſtatu, quàm in primâ ejus origine divinæ tuæ virtutis præſentia illucet.

Adeò ut quem rerum omnium conditorem eſſe didici, ſtatim quoq; Moderatorem ac Conſervatorem eſſe colligam: neque id univerſali duntaxat motione, Orbis machinam, ejúſque partes agitando: ſed ſingulari quadam Providentiâ, unumquodque eorum quæ condidiſti ad minimum uſque paſſerem

ſuſti-

ſuſtinendo, fovendo, curando. Perpetuam hanc tuam inſpectionem, curam vigilantiſſimam, regimen præſtantiſſimum, maximámq; protegendi & benefaciendi, tum facultatem, tum voluntatem, ſummâ cum reverentiâ ſuſpicere, nec minore cum fiduciâ intueri cupio.

Quid enim eſt, quod in gratiam tuorum Tu efficere nequeas, in cujus poſſeſſione ſunt ultimi Terrarum fines, Cœlorúmque ambitus; cujus nutum reſpiciunt omnes creaturæ, ut ſe in obſequium addicant? Quàm immenſa eſt benevolentia tua, quâ omnes cogantur res concurrere, ac cooperari in bonum eorum qui Te diligunt? Quàm ſecurè in protectione tuâ quieſcere licet, cujus arbitrio omnes ſubjaceant, quæ ubivis timeri poſſunt, noxæ; cujus imperio non ſecus ac fræno coerceatur Diabolus cum omnibus ſuis Furiis, totóque apparatu; cujus manu facilè removeri aut vinci poſſit, quicquid ſaluti noſtræ adverſetur.

Tuam utique eſt penes ſupremam Majeſtatem, Regum Principúmque Terræ, omniúmque cujuſvis generis aut conditionis hominum, conſilia, voluntates, conatus, facultates & flectere quò libuerit, ac quoties libuerit, conſtringere. Si Tibi viſum ſit, gra-

tiam nobis dare potes, non apud eos modò qui nobis bene volunt, ſed etiam in oculis inimicorum. Aut ſi non conciliandi ſint eorum animi, malitiam tamen, ne quid noceat, cohibere, improbitatemque frangere variis modis noſti. Quin & ubi eos conari permittis quod libido ac rabies ſuadeat, eorum ſæpenumerò abrumpis impetus, ne ad inſtitutum finem procedant.

Perſpectam habes, Domine, cauſæ noſtræ, quòd ad Hoſtes noſtros attinet, bonitatem. Itaque Te precor, Eccleſiæ, Regníque hujus innocentem ac juſtam cauſam vindica. Rurſum autem, qui ſimus nos vitioſæ Gentis incolæ, coram Te conſiderans, quid aliud niſi tuam deprecer iram, tremendáque illa ſupplicia, quæ peccatis noſtris meritò debeantur? Ignoſce, quæſo, peſtilenti iſti, quæ nimis apud nos viget, ſuperbiæ, mollitiei delicatæ, profuſæ luxuriæ, inſatiabili avaritiæ, & ex his natis rapinis, expilationibus, oppreſſioni violentæ, impio ſacrilegio, perfidiæ execrabili, cæteríſque id genus vitiis, quibus excandeſcentem tuam irritavimus indignationem, pœnáſq; in nos varias, & ſevera judicia arceſſivimus. Iſta, oro Te, pro ſingulari tuâ clementiâ avertas, neque jure nobiſcum agas famulis tuis indigniſſimis, qui ſi quales in nobiſmet

ipſis

ipſis ſumus coram tribunali tuo ſiſtimur, nunquam juſti comperiemur.

Fuimus, fateor, Gens improba, populus vitiis onuſtus, ſtirps malefica, nati perditi, & linguâ & ingenio Tibi contrarii, in glorioſos tuos oculos rebellando. Vides quot ſunt apud nos, qui malum bonum, & bonum malum dicant; qui tenebras in lucem, & lucem in tenebras convertant; qui amarum in dulce, & in amarum dulce mutent; qui ſcelera funibus nequitiæ, qui peccata quaſi plauſtri loris trahant. At ne recorderis nequitiæ noſtræ, neque quid meritis noſtris dignum ſit perpendas, ſed potiùs quid deceat miſericordiam tuam, ſine quâ ne Angeli quidem in Cœlo conſiſtere poſſunt, nedum nos infirma luti vaſa.

Si Tu peccata obſervaveris, Domine, ecquis tandem iræ tuæ juſtiſſimæ ſuſtinendæ par unquam fuerit? Atqui longè aliter ſe res habet, magnáque in Te facilitas eſt, ut venerandus ſis. Peccata igitur noſtra licet atrociſſima, vincat, quæſo, tanta tua támque incomprehenſibilis miſericordia. Utere tuâ eximiâ clementiâ, tuâque fretos dexterâ defende, adverſus eos, qui non in nos ſolùm, ſed in tuam ipſius potentiam inſurgunt.

Merito quidem vel injusto hostium furori, justissima in nos tua accedat indignatio, quam nostra tot flagitia lacessiverint: sed propitius esto, populo quem redemisti, & ne committas, quæso, ut hæreditas tua probro addicatur. Etsi nos vitia nostra accusent, qui nimis à bonâ fruge simus aversi; cum tamen sis inter nos, Domine, à Te denominatos, tesserámque gestantes tuam, ne destitue super quos Nomen tuum invocatur: nec sinas ut dicant veræ tuæ Religionis inimici, nullam nobis in Deo nostro superesse salutem. Memento miserationum quas toties tuis exhibuisti, & multiplicis illius bonitatis, quam omnibus sæculis demonstrasti. Esto, Domine, sicut olim fuisti, præsidium nostrum, & invictum propugnaculum, ut Te tutante nullas hominum legiones, quæ nos circumsideant reformidemus, sed intrepidè ex hostium nostrorum manu liberati, Te coram piè justéque colamus toto vitæ nostræ tempore.

Flecte, quæso, hominum animos ad studium pacis & concordiæ; nec patere acres illas & implacabiles Principum iras tantum semper calamitatum invehere rebus humanis. Quin concedas, ut in Orbe Christiano, fœlix eluceat unitas, ipsæque dissen-

tionum

tionum cauſæ & fibræ à radicibus extirpentur, ac oblivione ſepeliantur ſempiternâ.

Quouſque tandem, Domine, odium, invidiam, ſimultates, bella, pugnas, fovebunt ſtulti mortales? O ſi depoſita omni malevolentiâ, iracundiâ, nimiâ philautiâ, ubique Gentium vigeret omnium in omnes diffuſiſſima charitas! Quàm rara erit illius temporis fœlicitas, quando omnes omnium beatitudinem, ſummo ſtudio, viribúſque junctis promovebunt! O ſæculum expetendum! Fac accelerent illud, quantum in ſe eſt homines Chriſtiani, & benevolos eorum conatus, adjuvare digneris, Spiritum tuum, Spiritum illum amoris copioſè afflando; ut ſanatâ omni animorum noſtrorum exulceratione, nos incolas eſſe & cives totius Mundi arbitrantes, non nobis, non conſanguineis, non juxta nobiſcum ſentientibus, non amicis ſolùm, verùm omnibus quotquot ſunt vivamus, & in commune conſulentes, ardenti omnibus benefaciendi ſtudio teneamur.

Vigeat præſertim nobilis illa beatáq; charitatis gratia apud Gentem noſtram, ut nos invicem ſincero affectu diligentes, pace ac tranquillitate fruamur domi, etiamſi bella obſtrepant foris. Injuriarum, diſcordiarum, ac inimicitiarum veterum, quibus inter nos colliſum

lisum est, memoriam deleamus, novarum causas, occasiones, prætextus devitemus. Alter alterius onera porteimus, toleremus infirmitates, offensas condonemus. Deponantur à nobis infensa præjudicia, nec iniquis suspicionibus indulgeatur. Credulitati malignæ, ac temerariæ censuræ temperemus. Ne calumnias cuiquam struamus, nec detrahamus, nec obtrectemus, nec maledicamus, nec insultemus, nec facta in sequiorem partem detorqueamus, nec dicta duriori pervertamus interpretatione, nec probris immeritis, imò nec meritis quempiam incessamus. In neminem Satyricâ petulantiâ invehamur, nec insolenti cum ferociâ detonemus, nec religionis fuco inveteratum odium, aut zeli pallio turpem invidiam, aut veritatis obtentu atrocem malitiam occultemus. Cum omnibus autem, si fieri potest, pacem, concordiam, ac benevolentiam colamus.

Ecclesiæ, Regnique hujus salutem, florentémque Statum tuere quæso, Domine. Eum in primis custodi, qui sub auspiciis tuis omnium nostrum custos est, incoluméque conserva Conservatorem illum à Te nobis datum, qui in solio suo tanquam in Speculâ collocatus nos vacuos metu, vigiliâ suâ, & prospicientiâ reddat. Consiliis ejus & Armis fœlicem successum largire, ut hostibus debellatis regnum

suum

ſuum componat, omnes Reipublicæ laborantes partes ſanet, atque in libertatem veterem, & nitorem aſſerat. Doce Magiſtratus noſtros continere omnes cupiditates, juris æquabilem tenere rationem, ſibique ut præcipuum finem proponere beatam civium vitam, ut opibus firma, copiis locuples, pace tranquilla, virtute honeſta ſit. Eos nobis præficias Epiſcopos, ac Paſtores qui ſæcularia omnia deſideria abnegantes Eccleſiæ commodis egregiè conſulant, turbáſque quibus agitetur, non ſolùm votis, ſuſpiriis, lacrymis, ſed quovis aut ſudore, aut ſanguine demum ſedare velint. Da Plebi univerſæ, ut tum Tibi, tum iis, quos authoritate aliquâ muniviſti ſe obſequenter ſubmittant. Denique Noſtratibus omnibus nunc & ſemper da pacem, ut incolumem ac quietam Vitam degentes, cum omni pietate & honeſtate laudes tuas perpetuò celebremus, ob tanta in nos támque immerita beneficia, per Jeſum Chriſtum Dominum noſtrum. *Amen.*

FINIS.

BRITISH
8 JY 78
MUSEUM

Elenchus Precum.

Die Dominico Preces { Matutinæ, Page 1
Vespertinæ, 11

Die Lunæ Preces { Matutinæ, 21
Vespertinæ, 28

Die Martis Preces { Matutinæ, 37
Vespertinæ, 45

Die Mercurij Preces { Matutinæ, 52
Vespertinæ, 61

Die Jovis Preces { Matutinæ, 70
Vespertinæ, 81

Die Veneris Preces { Matutinæ, 90
Vespertinæ, 97

Die Saturni Preces { Matutinæ, 106
Vespertinæ, 116

Officium

Officium Matutinum Oratione unâ comprehensum, p. 125
Officium Vespertinum Oratione unâ comprehensum, 129
Oratio matutina ex Literis sacris penè ad verbum excerpta, 134
Oratio Vespertina ex Literis sacris, &c. 138
Improbi peccatoris ad frugem redeuntis Confessio supplex humilisque Oratio, 145
Oratio pro remissione peccatorum, divinæq; gratiæ in moribus corrigendis auxilio, 152
Oratio tempore afflictionum, aut rerum adversarum, 158
Oratio alia in adversis, 163
Gratiarum actio pro rebus prosperis, omnibúsque divinis beneficiis, 167
Oratio tempore Belli ac tumultuum, pro Ecclesiæ hujus Gentísq; Salute, totiúsq; Orbis Pace, 176

BRITISH MUSEUM 8 JY 78